quòd in auguſtiſſimi oris ampullam vitream, panem grandem A immitteret, eumque extremis digitulis levaret illæſum, eoque ſolo, quaſi divinitùs dato cibo ſe contentam eſſe diceret. *Teſtis eſt Auguſtinus.*

Puella lunatica Michaeli Curopalati Imp. exitium, Leonemque Armenium ſucceſſorem ejus fore nominatim prædixit. *Cedrenus, & Zonaras tomo 3.*

Maria Pſeudochriſti Gallici ſcortum, & prophetiſſa. *Gregorius Turon. lib.10. Hiſt. cap.24.*

Scribit Cælius, fuiſſe in patria ſua mulierculam humili loco, Jacobam nomine, ex cujus ventre immundi ſpiritus vocem, prætenuem quidem, ſed tamen ubi vellet dearticulatam, & prorſus intelligibilem, audiverit non ſolùm ipſe, verùm & innumeri alii, non Rhodigii modò, ſed & tota ferè Italia: quando futuri avida potentum mens ſæpè accerſitam, ventriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inſpectare, ac audire concupivit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis, aut præſentibus ſciſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa dabat ſæpè mirifica. Si de futuris, ſemper B mendaciſſimus. Sed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto, vel bombo veriùs retegebat. *Cælius lib.8. cap.10. Antiq. Lect.*

### Apud Mauruſios, Germanos. Cimbros.

Apud Mauruſios nefas eſt, virum vaticinari, ſed Feminæ id muneris expediunt. *Procop. de bello Vandal. lib.4.*

Auctor *Agathius* eſt *in Gothici belli libro* 2. Germanos vatibus feminis uſos quandoque, veriſſimo item eventu. Sacras vocat *Plut. in Cæſare*, ac ex fluminum vorticibus, & ſtrepitu futura conjectaſſe. *Cælius lib.28. cap.20. Antiq. Lect.*

Alrunæ mulieres fatidicæ Cimbrorum, incinctæ zonis æneis, nudæ pedibus, canis capillis, linteaque tunica, & alba veſte, quæ ſubtus fibulis annexa erat, amictæ, captivis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ad humum ſternentes ad æreum pertrahebant craterem: deinde eos in ſublime tollendo, jugulum ferro aperiebant, & profluente tum ſan- C guine in craterem eventum belli vaticinabantur. Aliæ diſſecto ventre ex inteſtinis victoriam interpretabantur. Inter præliandum verò pelles ad carrucarum velamina extenſas, crebris petebant ictibus, id eſt, Viragines; Græci Amazonas vocant, *ex Strabonis lib.7.*

### Apud Judæos.

Saulo regi Judæorum Pythoniſſa, excito Samuele, cladem, atque mortem prædixit. 1. *Reg.* 28.

Noadia mulier fatidica, Nehemiæ muros Hieroſolymæ inſtauranti, Samaritanorum inſidias detexit: conſulens, ut ſeſe in fani proximi cellam mediam tanquam aſylum reciperet. Quod ille renuens, Non eum ſe eſſe reſpondit, qui fugeret, ſed Dei præſidio tutum, fani latibulis opus non haberet. 2. *Eſdræ* 6.

*Ethnicos.*

Daphnen Tireſiæ filiam, apud Delphos ſolitam vaticinari, verſificatione adeò præcelluiſſe memorant, ut ex ejus carminibus multa ad ſui poematis cultum tranſtuliſſe Homerus D credatur. *Cæl. lib.14. c.1. Antiq. Lect.*

Peliadas fatidicas Phemenoe Sibylla fuiſſe dicunt ætate ſuperiore, & mulierum omnium primas verſus illos decantaſſe:

*Jupiter eſt, fuit, atque erit: ò bone Jupiter alme.*
*Quæ tribuit fruges, Tellurem dicite matrem.*

*Pauſanias in Phocicis.*

Manto filia Tireſiæ (à cujus nomine dicta eſt Mantua) fatidica, & rerum futurarum præſaga. *Virgil. lib.10. Æn. Ovid. lib.6. Metam. & Statius lib. 10. Vide Tireſiam.*

Caſſandra Priami filia, cùm Apollini copiam ſui corporis promiſiſſet, ab eodem vates facta eſt. Cùm autem non ſtaret promiſſis, iratus deus fecit, ut ejus vaticiniis non adhiberetur fides. Hæc prædixit futura ex Helenæ raptu infortunia. *Propert. lib.3. Virg. lib.2. Æn. Lycophron. in Caſſand.*

Alexander Priami F. Cebrenis filiam Oenonem fatidicam in uxorem duxit, pollicitus, ſe nunquam illam deſerturum. Illa prædixit ei, quòd Helenam non multò poſt rapturus ſit: & patriam perditurus, vulneratum inſuper in bello non niſi ſuis remediis ſanatum iri. Ridebat ea tamen Alexander. Verùm rapta jam Helena, Oenone ad patrem reverſa eſt. Vulneratus E à Philoctete Paris, Oenonem per præconem accerſiri curat. Zelotypa illa ab Helena auxilium petere juſſit. Victa tamen amoris impotentia, feſtinabat ad Paridem. At quia præco reſponſum ab Oenone citiùs retuliſſet, præ animi moleſtia Alexander expiravit. Oenone ſuperveniens cum mortuum jam in terra jacentem videret, ſeipſam interemit. *Parthen. in Eroticis cap.4. ex Nicandro in libro de Poetis, & Cephalone Gelgithio in Troicis.*

Fauno fuit uxor, nomine Fatua, quę aſſiduè ſpiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. Unde adhuc, qui inſpirari ſolent, fatuari dicuntur. Ea Fatua à Fauno occiſa, pro dea culta eſt, appellataque Bona dea: quòd tanta pudicita fuerit, ut nemo illam, quoad vixerit, præter ſuum virum, mas viderit. *Trogus, & M. Varro. Ludov. Vives in lib.18. Auguſt. de Civit. Dei, cap.15.*

Theano, & Evexippe, filiæ Scedaſi Spartani, civibus ſuis dira fata præcinuerunt. Poſteà ab adoleſcentibus Meſſeniis conſtupratæ, & in puteum conjectæ ſunt. Quod ubi reſcivit pater, animi dolore ſeipſum ad earum tumulum interfecit. F Ex eo bellum cruentiſſimum exortum, quod Meſſenios primùm, deinde etiam Lacedæmonios, Thebanorum viribus peſſùndedit.

Carmentam, Arcadis Evandri memorant conjugem fuiſſe fatidicam, & verſibus oracula ſolitam reddere: propterea à carminibus dictam Carmentam, cùm Nicoſtratæ verùm nomen eſſet. Alii verò probabiliùs Carmentam interpretantur, quaſi mente carentem, ex furore fanatico, Plutarchus in Romulo. Ita non Carmentæ appellationem carmina dedere, verùm hæc potius nomen ab illa invenere: quòd ſortes verſibus, & metris fanatica caneret. *Plut. in quæſt. Rom.*

Sibyllæ mulieres ſunt vates Deo plenæ, ut inquit *Diod. lib.5. Servius 4. Æn. & Lactant. 1. Div. inſtit. ex Varrone* Sybillam nominatam dicunt, quaſi Dei conſilium: nam Æoles σιὸς deos vocant. & βολλὼ conſilium. Suidas λέξιν ῥωμαϊκὴν eſſe dicit, ἑρμηνευομένην προφῆτιν, Romanam vocem, interpretarique prophetiſſam, hoc eſt, vatem. Quæ verò, & quot Sibyllæ, quibus temporibus, quibus locis fuerint, non convenit. Martianus Capella duas tantùm eſſe dicit, non decem: Erophilam Trojanam, Marmeſi filiam, quam ean- G dem putat eſſe Phrygiam, & Cumæam: alteram Symmachiam Hippotenſis filiam, quæ Erythrę progenita, etiam Cumis vaticinata eſt. Plinius eſt auctor, Romę trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas juxta Roſtra: unam, quam Pacuvius Taurus ędil. pleb. inſtituit: duas quas M. Meſſala. Solinus eas nominat Cumanam, Delphicam, & Erythręam, Heriphilem. *Ælianus in var. hiſt.* quatuor ponit, Erythręam Samiā, Ægyptiam, Sardiniam. Iſtis alii duas addunt, Judęam & Cumęam. Varro in libris Rerum divinarum ad C. Cęſarem, quatuor adjungit, ut ſint decem. Nonnulli Gręcorum conati ex Sibyllis facere, quod de Jovibus, Herculibus, & aliis (qui cùm multi fuerint, unicum tantùm prodidere) varia de Sibylla ſcribunt, & multùm inter ſe diſcrepantia. Alii eam Apollinis, & Lamię filiam volunt: alii Ariſtocratis, & Hydolis: alii Crinagoræ, alii Theodori. Tum de patria non minùs diſſidetur. Sunt, qui Erythræam tradant, ſunt, qui Siculam, ſunt, qui Sardinicam, ſunt, qui Gergethicam, ſunt, qui Rhodiam, ſunt, qui Libycam, ſunt, qui Leucanam, ſunt, qui Sumiam, quæ omnia magna ex parte de Erythræa opinati ſunt, quam dicunt an- H te Trojana tempora fuiſſe. Cæterùm decem Sibyllas Varronis percenſebo, ut à Lactantio ponuntur, additis, quæ mihi videbuntur, partim ex Latinis ſcriptoribus, partim ex Græcis, ut res tota planior fiat. Prima Sibylla fuit Perſica, cujus mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit. Hanc eandem Chaldæam eſſe dicunt, ab aliis Hebræa nominatur, cui proprium nomen Sambetha, urbe Noe prope mare Rubrum nata, patre Beroſſo, & matre Erymantha, cujus libri fuerunt quatuor & viginti: ac de Chriſto Domino innumera cecinit, deque ejus adventu, cui cæteræ quoque Sibyllæ concinunt. Verſus hujus paſſim legebantur imperfecti: & interdum parum cohærentes, vitio non vatis, ſed ex ſcribentium feſtinatione, ita ut multa conjectura ſit opus: quod non ſine numine contigit, ne ab indignis illa vaticinia intelligerentur. Altera Sibylla fuit Libyca, cujus meminit *Euripides in Lamiæ prologo.* Tertia Delphica, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem de Divinatione compoſuit: hanc putant Delphis natam, dictamque Themin, & vixiſſe ante Troicum excidium:



cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe A crediderunt. Hanc Diodor. Daphnen. Tireſiæ filiam fuiſſe refert, quam Argivi cùm Thebas viciſſent, Delphos miſere, ibique peritior divinandi Apollinis vaticiniis facta, dei oracula conſulentibus edidit, idcirco Sibylla eſt ab omnibus cognominata. Quarta Cumæa in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piſo in annalib. nominat. Hanc alii Italicam nuncupant, ex Cimerio Campaniæ, vicino Cumis oppido. Quinta Erythræa, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe civem, eamque Gratis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. Hanc vulgarior opinio eſt; fuiſſe ante obſidium Ilii. At Euſebius in primam ætatem urbis Romæ, regnumque Romuli refert. Strabo verò non unam ponit Erythræam Sibyllam: nam priſcam quandam facit, & aliam recentiorem Athenain nomine, quæ fuerit Alexandri temporibus. Lactantius Sibyllam Erythræam Babylone natam eſſe ait, & ſeſe Erythræam appellare maluiſſe. Sexta Samia, de qua ſcripſit. *Eratoſthenes in antiquis Annalib.* Sanniorum ſe reperiſſe ſcriptum, dicta eſt nomine Phyto. Septima Cumana, nomine Amalthæa, ab aliis Herophile, vel Demophile, B vel Deiphobe nominatur. Suidas Herophilem dicit, eamque novem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum precii magnitudinem, & mulieris inſaniam deriſiſſe: illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem precium poſtulaſſe. Tarquinium multò magis mulierem inſanire putaſſe. Quæ denuò tribus aliis exuſtis, cùm in eodem precio perſeveraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Hujus facti meminerunt plerique Scriptores, Plin. Dionyſ. Solin. Gell. Servius: qui Tarquinio Superbo libros oblatos, non Priſco tradunt: & Plin. tres libros, non novem ponit, ac combuſtis duobus tertium ſuperfuiſſe. Suidas novem libros ſcribit eam attuliſſe peculiarium oraculorum, hoc eſt, ad certum aliquem populum ſpectantium, ſed combuſtos tantùm duos. Solinus hujus ſepulcrum dicit viſi in Sicilia. Cæterùm non hanc nominat Heriphilem: Erythrææ namque nomen hoc dat, quam antiquiorem facit Cumana, Euſeb. Herophilem non Erythręam, nec Cumanam autumat, ſed Samiam, vixiſſeque Numa Rege, Leocrate Athenis archonte. Octava Helleſpontica, in agro Trojano nata, vico Marmiſſo, circà oppidum Gergetium, quam C ſcribit Heraclides Ponticus Solonis, & Cyri fuiſſe temporibus. Nona Phrygia, quæ vaticinata ſit Ancyræ. Decima Tyburs, nomine Albunea, quæ Tyburi colitur ut dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum. Has Sibyllas tradit Varro. Feruntur & aliæ nonnullæ, ut Colophonia, quæ dicta eſt Lampuſia, Calchante nata, cujus vaticinia, & reſponſa carmine ſunt olim lecta: & Sibylla Eliſſa, cujus etiam vaticinia extiterunt carmine. Venit etiam in numerum Sibyllarum Caſſandra Priami filia: & Epirotica Sibylla, Theſprotiæ nata, quæ oracula ſcripſit: & Theſſalica Manto, Tireſiæ Thebani filia. Poſſet & Sibylla dici Carmentis Arcas Evandri mater, & Fauna Fatua, Fauni Regis ſoror & conjux. Dubitavit Didius grammaticus an Sappho Sibylla fuerit, ut eſt *apud Senec. in Studiis liberalibus. Hæc Vives in l.18. Aug. de civit. Dei, c.23. Item Sab. lib.3. Enn.2.*

Fuerunt in Græcia Pythiæ, quas poſſidere credebatur Deus: ac propterea ἐνθουσιασμὸς dicebatur, cùm Sibyllæ, D aut Pythiæ, quæ in Delphica, Deliave ſpecu jacuerant ſic occupabantur, & per eas diabolus (quem vocabant Deum Apollinem) reſponſa dabat, quo facto, ab eis ſuperſedebat Dæmon.

Phemenoe virgo, prima Delphici Apollinis vates fuiſſe dicitur, carmenque Heroicum inveniſſe. *Pauſan. in Phocicis. Plin. lib.10. Lucanus lib.5.*

*Phemenoen errore vagam, curiſque vacantem*
*Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.*

Phænnis mulier vates, tempore Antiochi vixit, qui capto Demetrio regnum Syriæ occupavit: *Pauſ. in Phocicis.*

C. Marius in caſtris contra Cimbros mulierem quandam Syram, Martham nomine, quæ ferebatur edere vaticinia, in lectica decumbentem magna circumducebat veneratione, & ſacra illius monitu faciebat: quam Senatus pridem, cùm de his diſſerere vellet, & prænunciaret venientia, repulerat. Verùm poſtquam cum fœminis congreſſa, documentum dedit ſui præſertim ad pedes uxoris Marii aſſidens, eamque affata, qui eſſet ex gladiatoribus victoriam laturus, prædixiſſet: ab ea ad Marium miſſa, in honore habebatur apud eum, ac lectica ferè vehebatur. Ad rem divinam puniceo amictu duplici fibulato haſtam vittis redimitam, & coronamentis ferens pro- E cedebat. At hæc quidem fabula adduxit in dubitationem complures, verène fidem ei Marius haberet, an ſerviens ex compoſito huic fabulæ, oſtentaret eam mulierem. *Plut. in Mario.*

Soſipatra Alexandrina fœmina, ac vates doctiſſima, uxor Euſtathii Cappadocis, à quibuſdam numinibus educata dicitur. *Eunapius in vita Ædeſii.*

### JUVENES, PUERI, Puellæ.

Apud Telmeſſum Pueri ſimul, & Puellæ vaticinantur, teſte Arriano. *Cæl. lib. 14. cap.1. Antiq. Lect.*

☞ *Vide ſuprà initium bujus Tituli.*

---

## * Propinatio. Propinare.

### Definitio, et Etymologia.

PRopinationes προπόσεις, Græci vocant, & Hebræi propinare: dicunt השקה *in hiphili* quaſi irrigare, potum præbere, προπινεῖν. Græcis eſt præbibere. Latinis propinare, eſt prægustato poculo alteri illud offerre. Ita *Juven. Sat.5.*

*—— Quando propinat*
*Varro tibi, ſumitque tuis contacta labellis*
*Pocula: quis veſtrum temerarius uſque adeò, quis*
*Perditus, ut dicat Regi bibe?* F

Propinare inquit Beroaldus, propriè eſt poculum porrigere, & ad bibendum præbere. Sic *Martialis.*

*Qui nulli calicem tuum propinas,*
*Humanè facis Herme, non ſuperbè.*

### MOS ANTIQUUS Apud Hebræos.

Propinandi conſuetudo antiquiſſima. Apud Hebræos quidem paterfamilias cùm menſæ accubuiſſet, cum domeſticis, poculum vino repletum dextra tenens, & præmiſſa precatione hac: Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, Rex mundi, creator vini, eaque finita prior deguſtabat, tunc ceteris porrigebat. Aliquando ipſe paterfamilias alicui convivarum id deferebat.

### Persas.

Fuiſſe etiam propinationes apud Medos, & Perſas uſitatas, convivii illius regii, *Eſther. cap.* 1. indicat. *De qua vide obſer-* G *vationes Druſii in illum Locum.*

### Græcos.

Antiquiſſimam apud Græcos propinandi conſuetudinem plurium Scriptorum teſtimonia evincunt. Suidas id Regibus uſitatum fuiſſe ſcribit, ut die certo, quem Philoteſſium appellabant; miſcerent poculis vina, eaque à pocillatore accepta deguſtarent, & tum præbiberent. Eratque hoc maximæ benevolentiæ ſymbolum. Hinc Philoteſiæ vox pro amica propinatione uſurpata, & Crater Philoteſius eſt is, qui amicitiæ conciliandæ gratia hauriebatur, meminitque illius *Plut. lib. de fortuna Alex. Reg.*

### Romanos.

Romanis propinationes uſitatas, quas invitationes vocabant, conſtat ex Authoribus. *Herodian. lib.* 1. meminit poculi ab amica propinati & temperati, quò ad amicos majori cum voluptate deveniret. Dido Virgiliana cùm prębibiſſet, & ſummo tenus ore poculum attigiſſet:

*Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hauſit* H
*Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.*

Sic Phormio Terentianus ex procacitate paraſytica inquit, Prior bibas, prior decumbas. Gurgulio Plautinus. Propino ait militi magnum poculum, ille ebibit.

### Finis Propinationis.

Propinationis finis eſt charitas, & mutua benevolentia, quæ hoc velut ſymbolo conciliatur. Quamvis hoc ſigno plerumque abutantur, dum ad æquales hauſtus, compotationes, ſi non ad libidines, turpeſque amores, plerique hac etiam ætate abutantur, qua de re diximus pleraque. *Tit. de Bibacitate, Ebrietate*, ubi de uſu & abuſu bibendi ad ſanitatem.

### FORMÆ VARIÆ.

Propinatio uti olim, ita & hodie non una forma peragitur; fit enim aliquando in orbem, aliquando tranſverſim. Prior certè antiquiſſima eſt, unde Græci dicunt, in orbem bibere, quæ phraſis apud Authores uſitata eſt. Sic Euripides dicit, cùm poculum ſerpit in orbem, & apud Athenęum citatur illud Sophronis περίφερε κύκλῳ μεστὸν τὸ σκύφον, id eſt, Circumfer ſcyphum plenum.

Propina-

Propinationes autem has à dextris cœpiſſe in orbem Athenæus lib, 11. adfirmat. In Platonis convivio ſub finem Agathon Ariſtophanes, & Socrates biberunt ad dextram ex magna phiala. ἐκ φιάλης μεγάλης ἐπιδέξια.

Circularis quoque illa propinatio Romanis uſitata fuit, & meminit illius *Cicero lib. de legib.*

At Theſſalorum tranſverſum bibere, & propinare, quod de Celtis *Athenæus l.* 4. de Indis, Philoſtratus.

Denique inter propinandum ſi ſexus commiſceretur, oſculum dabatur, ut *Plautus in Aſinaria* teſtatur: & hodie familiare apud Francos & Belgas. Qui etiam, quod veteribus quoque uſitatum, in conviviis propinando cantiunculam miſcent, & ſalutandi invicem formulam pronuntiant. Immò & acclamant, ut vivat, & valeat, proſperève omnia eveniant bibenti. Sic Commodus Imp. teſte Dione, in theatro feras conficiens, cum è pulcherrimæ fœminæ manu poculum accepiſſet, & biberet. Senatus clamavit, τὸ ἐν συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι ζήσειας.

Apud Ægyptios Sceleton, ſive emarcidum cadaver, aut illius imaginem inferebant convivio; unà cum poculo illud convivæ tradentes, aut offerentes dicendo: Ede, bibe, talis mox futurus. Ad quod forſan referendum illud Plutarchi in Antonio, qui adminiſtros hortabatur largè propinare, ac epulis diſtendi, quia foret incertum, an in poſterum id eſſent facturi. *Cælius lib.* 28. *c.* 4.

Præterea ut olim, ita hodie, quoque eos, qui ſtrenuè uno impetu multum vini exhauſerunt, laude, applauſu, fauſtaque acclamatione proſequuntur.

Exemplum antiquæ conſuetudinis illuſtre habes *apud Apul. lib.* 10. Grandiſſimum illum calicem uno hauſtu perhauſi, id eſt, ebibi. Et clamor exſurgit conſona voce multum ſalute me proſequentium.

Ex his liquidò conſtat, olim quoque moris fuiſſe, ſalutem, & incolumitatem precari, qui uno potu plurimùm hauſiſſent: qui mos etiam hodie apud Chriſtianos eſt uſitatiſſimus.

Jam verò ſi blanditiæ nihil proficiunt, convertuntur ad minas atroces, ad diras imprecationes, ad maledicta, convitia, quibus ſeu facibus quibuſdam invicem cogunt ad plus æquo, juſtòque bibendum. Illi gravi ſeſe affectos injuria putant, ſi quis illis reſpondere detrectet, & à verbis minacibus ad verbera, ad calces, pugnos, vim apertam convertuntur. Mordicus enim antiquum illud Græcorum πολυθρύλλητον tenent: Aut bibe, aut abi.

Etiam propinationis circumſtantia ſunt geſtus varii, ſeu potius geſticulationes, atque ludi hiſtrionici, quos illi potatores in ſuis propinationibus adhibent: ſuntque veluti incitamenta ad immoderatè bibendum, Huc referuntur Threiciæ illæ potationes, uti vocantur, quando nimirum uno hauſtu, ictu, ſeu impetu ſine reſpiratione poculum exhauritur. *Conſulat lector Stuchium l.* 3. *antiquit. Convivial. c.* 10. *&* 14.

PROPINATIONES VETITÆ,
NON USITATÆ.

Propinationes, quæ in ſympoſiis fieri conſueverunt amicitiæ ergo apud Lacedemonios non fuerunt in uſu de quo ſic eleganter Critias in Elegiis, ubi eleganter ſanè propinationum hujuſmodi circularium modum deſcribit:

*Hoc ſtudium Spartæ, mos hic ſervatur in illa,*
*Ipſe ſuum ſiccet vinifer ut calicem.*
*Vel potum donare vocato nomine cuiquam,*
*Inque manum dextram vaſa tuliſſe vetant.*
*Porrigere à dextris potum, vel dicere nomen*
*Convivæ, cui quis præcupiat bibere.*

## * Proſelyti.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PRoſelyti vox eſt Greca à verbo προσέρχομαι, advenio Hebrei גרים *gherim* dicunt, ut colligitur ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi reperitur nomen Giore. Latini voce greca Neophytos appellabant, qui ex Gentium ſuperſtitione, aut Judeorum, ad Chriſtianam religionem veniebant, & etiamnum veniunt.

Judei autem omnem movebant lapidem, ut terras mariaque circumeundo Proſelytos facerent, inanis gloriæ, lucrive cauſa, hoc eſt, ut è Gentibus plures ad ſe traherent, quos hoc nomine vocabant, quaſi qui recens adveniſſent, & eorum religione eſſent imbuti.

Nomen autem hoc Græcum cœptum uſurpari. *In l. Paralip. l.* 1. *c.* 22. tum in *l. Tobiæ c.* 1. *Num.* 7. *Ezechiel. c.* 14. 7. At in lege Moyſis vocabantur advenæ, & peregrini: immò honeſtiore titulo Timentes Deum, quomodo *cap.* 13. *Actor.*

Proſelytos Tertullian. & Auguſtin. vertunt Incolas.

QUALITAS EORUMDEM.

Proſelyti tenebantur univerſam legem cuſtodire, neque tamen nomine filiorum Iſrael, neque privilegiis fruebantur ipſi, vel eorum poſteri, ut demonſtrat *Toſtat Matt.* 13. *q.* 901. Et in particulari non erant participes bonorum, & regiminum Reipublicæ, ſicut idipſum cautum eſt apud Apoſtolum in Neophytis noſtris. Tertiò, non illis favebat annus Jubilæi, aut lex recuperandæ libertatis, aut remiſſionis debitorum.

Poterant denique ab iis veri Iſraelitæ exigere uſuras, ad eoſdem enim extendit Toſtatus, quod de advenis dicitur. *Deut.* 15. *S. Aug. in Pſal.* 145. Omnis, ait, Gentium Eccleſia Proſelyta eſt. 1. adventitia eſt enim ad Patres, non de carne eorum nata, ſed imitando filia. Verùm modò nullus hoſpes aut advena, ſed omnes eſſe poſſunt cives Sanctorum, & domeſtici Dei. *ad Epheſ. c.* 2.

## * Proſperitas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PRoſperitas εὐημερία Græcè, *Aſcher* Hebraicè, felicitas, & *Schalem* Pax. Sunt enim hæ comites proſperitatis. Deducitur autem à Spe; unde proſperitas eſt velut impletio ſpei, voti, ac deſiderii.

HUJUS VITÆ FLUXA, ET FALSA.

Proſpera hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. *Epiſt.* 36. *Aug.*

Nulla res longa mortalium, omniſque felicitas ſæculi dum tenetur, amittitur, cùm enim tribulationis tempus advenerit, omne, quod præteritum eſt, nihil adjuvat ſuſtinentem. *ſuper Eſa. lib.* 7. *Idem.*

Si haberes ſapientiam Salomonis, ſi pulchritudinem Abſolonis, ſi fortitudinem Samſonis, ſi longævitatem Enoch, ſi divitias Crœſi, ſi fœlicitatem Octaviani, quid proſunt hæc, cùm tandem caro datur vermibus, & anima dæmonibus cum divite ſine fine crucianda? *in Matth.* 27.

Cætera exempla fortunæ variantis innumera. Etenim quæ facit magna gaudia, niſi ex malis? aut quæ mala immenſa, niſi ex ingentibus gaudiis. Nulla eſt profectò ſolida felicitas, quam contumelia ulla vitæ rumpit. *Plin lib.* 7. *hiſt.*

Omnia, quæ ſuperfluunt, nocent, ſegetem nimia ſternit ubertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non pervenit fecunditas. Idem quoque animis evenit, quos immoderata proſperitas rumpit, quia non tantùm in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur. *Senec.* 88. *Epiſt. ad Lucil.*

Etenim plus reor hominibus adverſam, quam proſperam prodeſſe fortunam. Hæc enim ſpe felicitatis, cùm videtur blanda, mentitur: Illa ſemper vera eſt, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat: Illa fallit, hæc inſtruit: Illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cogitatione fragilis felicitatis abſoluit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram, hanc ſobriam ſuccinctamque, ac ipſius adverſitatis exercitatione prudentem, poſtremo fœlix à vero bono devios blanditiis trahit: adverſa plerumque, ad vera reducens, velut uno trahit. An hoc inter minima exiſtimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aſpera, hæc horribilia fortuna detexit? Hæc tibi certos ſodalium vultus, ambiguoſque ſecrevit, diſcedens, ſuos abſtulit, tuos reliquit. Quanti hoc inter & (ut videbaris tibi) fortunatus emiſſes? *Boetius lib.* 2. *proſa.* 6.

APOPHTHEGMATA.

Socrates ſciſcitatus, quid bonis viris moleſtum eſſet? reſpondit, malorum proſperitas, *Ant. & Maxim. ſerm. de fortuna bona, & mala.*

Diodorus Philoſophus felicioris ingenii eſſe dicebat, infortunia cum dexteritate ferre, quàm ingentem proſperitatem regere prudenter. *Eod. ſerm.*

Epicurus, Humilis, inquit, & parvus à ſecundis proſperitatibus effertur, adverſis autem rebus deprimitur. *ibid.*

Epicurus, Hæc ejus ſunt de proſperitate ſcitè dicta: Stultus proſperitatis tanquam ebrietatis voluptate nimium fruens, ſtultior evadit. Eorum qui proſperè agunt, antagoniſta eſt invidia, proſperitate, tanquam fructibus autumni, dum adeſt, frui debemus. *in Enchirid. & de diſſertationibus.*





Mundi proſperitatem, veram quidem proſperitatem, ſed falſam jucunditatem dicebat Auguſt. At ejuſdem inſtitutor, directorque Ambroſius, dum ad domum divitis cujuſdam divertiſſet, qui ſibi omnia ex voto toto vitæ tempore eveniſſe gloriabatur, eveſtigiò receſſit. Rogatus à comite, cur fugeret tam liberalem hoſpitem? Ne, inquit, unà cum eo perpetua proſperitate uſo, malè peream, neque id vanum augurium. Vix enim domo receſſerat, dum ea cum omnibus eam incolentibus terræ hiatu fuit abſorpta. *Ex Paulin. in vit. Beyerlinck in Apoph.*

Quid verò hoc exemplo illuſtrius? Erat Ugolinus Gidareſcus Piſanus, qui eò devenerat, rebus ſecundis ſublatus, ut nutu, imperioque quaſi cuncta adminiſtraret: divitiis, nobilitate, filiis, nepotibuſque affluens beatum ſe, & felicem prædicabat. Cùmque feſto ſui natalis die fortunam apud amicos extolleret, cæloque æquaret, auſus ad extremum familiarium quempiam interrogare, numquid ſibi deeſſe exiſtimaret: qui attenta rerum humanarum fallaci ſpecie, quàmque volucri orbe circumagantur, vel certè mente à Deo mota, Sola, inquit, ira numinis procul, diùque abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt, neque verè abfuit. Paulò enim poſt turri à Gibellinis incluſus, miſera fame cum liberis extinctus eſt, de quo ita luſit aliquando *Cornelius Kilianus Dufflæus:*

*Urbs Piſæ, atque Arnus, qui Piſas irrigat amnis,*
*Teſtes exitii ſunt, Ugoline, tui.*
*Cùm turri incluſos, chariſſima pignora natos*
*Eſurie extingui cernis, & ipſe peris.*
*Poſt Danthes duce Virgilio regna infera luſtrans*
*Nec dum ibi ſedatam comperit eſſe famem.*
*Nam videt inſidi te Ruggerii occiput ore*
*Horribili, & rabidis dentibus impetere.*
*Fortunæ miſerum mortales diſcite caſum,*
*Eſurie ecce Comes dira Ugolinus obit.*

☞ *Require* ADVERSITAS, & FORTUNA.

Quantum verò ſe quiſque debeat moderari, dum proſperæ res nimium ſe ingerunt, non modò Salomon, dum in die bonorum nos memores malorum eſſe monet; ſed etiam Ethnici indicarunt.

Phavorinus, in proſperitate, inquit, ne ſuperbias, & inops ne delicias animum, Fortunæ vices fortiter ferre ſcias. *Ant. & Max. ſerm. de fortuna.*

Ita, & Periand. per Auſ.

*Si fortuna juvat, caveto tolli.*
*Si fortuna tonat, caveto mergi.*

Similiter Terent. Phorm. 21.

*Quamobrē omnes cū ſecundæ res ſunt maximæ, tum maximè*
*Meditari ſecū oportet, quo pacto adverſam ærumnā ferant:*
*Pericula, damna, exilia peregrè rediens ſemper cogites.*
*Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:*
*Communia eſſe hæc: fieri poſſe, ut ne quid animo ſit novum:*
*Quidquid preter ſpē eveniat, omne id deputare, eſſe in lucro*

Seneca in Thyeſt. trag. 1.

*Nemo confidat nimium ſecundis,*
*Nemo deſperet meliora lapſis.*
*Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho*
*Stare fortunam, rotat omne fatum.*
*Nemo divos habuit faventes,*
*Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.*

Decere ſapientes nihil ambigere (*Narſetis dictum*) ne cum fortuna ſimul ſecundis in rebus ſe efferant: ſed quemadmodum facilè præſentia hæc immutantur, ita & animum ad varios velim hi præparent caſus. Nam his quidem, qui hoc pacto ſe habent, ſuaviſſima apparebit felicitas, nec erit moleſtum, ſi qua in re præter eorum ſententiam utcunque fallantur. *Agath. hiſt. l.* 1.

PROSPERITATIS NIMIÆ
INCOMMODA VARIA.

Noverca virtutis proſperitas, bajulis ſuis ſic applaudit, ut noceat, & infelici ſucceſſu ſic fortunatis obſequitur, ut in fine perniciem operetur: convivis ſuis ab initio propinans dulcia & cum inebriati fuerint, lethale virus miſcet, & ſi quid deterius eſt, quò ſpecie ſui clareſcit, ampliùs eò ſtupentibus oculis denſiorem infundit caliginem. *P. Chry. l.* 1. *de curialium nugis.*

Benè *Lactantius Firmian. Divin. Inſt. l.* 1. *c.* 2. Ex rerum proſperitate luxuria, & ex hac vitia omnia, ſic erga Deum impietas naſcitur. Multa hujus veritatis teſtimonia, & exempla ſuppeditant S. Litteræ, quæ hoc loco annotaſſe in gratiam lectoris ſuffecerit.

Proſperitatis ſuperbiæ occaſio, ut conſtat de Iſraelitis *Deut. c.* 15. *Prov.* 30. *v.* 8. *Jer.* 5. 7. *Ezech.* 16. *v.* 49. *Oſe* 13. *v.* 6. proſperitatis temporalis abuſus. *exempla:* Iſraelitæ, *Deut.* 32. *v.* 15.

Gedeon, cùm parvus eſſet homo, & in arca frumentum excuteret, bonus fuit, Angeluſque Domini viſitavit eum. *Judic.* 6. 12. poſt obtentam autem, & peractam victoriam proſpera fortuna abuſus eſt. Fecit enim ex inauribus aureis Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra, fornicatuſque eſt omnis Iſrael in eo, & factum eſt Gedeoni, & omni ejus domui in ruinam. *Jud.* 8. *v.* 13. 14.

David poſt bella multa, & victorias multas, remanens quietus in Jeruſalem, committit adulterium. 2. *Reg.* 11. 4. poſt adulterium etiam homicidium, *v.* 15. Occaſione multitudinis ſubditorum in ſuperbiam effertur, & populum numerandum curavit, 24. *v.* 1. 2.

Salomon. 1. *Reg.* 10. *v.* 26. 27. & 11. *v.* 1. 2. 4.

Jeroboam, antequam conſequeretur dominium ſuper decem Tribus, non legitur fuiſſe malus: ſed poſt fecit vitulos aureos, &c. 1. *Reg.* 1. *v.* 20. 28.

Amaſus poſtquam debellavit Edom, elevatum eſt cor ejus, & voluit contra Joas Regem Iſrael pugnare. 24. *v.* 7. 9.

Roboam, 2. *Paral.* 12. *v.* 13. 14. Ozias, 26. *v.* 16. 17. Manaſſes, 33. 9. Iſraelitæ, *Nehem.* 4. *v.* 23. 26. Nabuchodonoſor. *Dan.* 4. 11. Filii Zambri, 1. *Mach.* 9. 37. 40. 41. Adoleſcens quidam, *Matth.* 19. 22. Dives ſtolidus, *Luc.* 12. 16. 17. 18. 19. Villæ emptor, 14. 18. 19. Dives epulo, 16. 19. Herodes, *Act.* 12. 21. 22. Dives hujus ſæculi, 1. *Timoth.* 6. *v.* 17.

Proſperitas multos habet amicos, *Exempla:* Tobiæ amici, *Tob.* 11. *v.* 20. 21. Fratres, ſorores, & amici Job, *Job.* 24. *v.* 10. 11. 12.

Etiam Ethnicorum hac de re prudens cenſura fuit, è quibus Thucydides. Solent urbes fieri inſolentiores, cùm exiguo labore inſperata felicitas contigit: ſed ſtabilior eſt fortuna, quæ ratione paratur, quam quæ caſu offertur: ac facilius eſt adverſa propulſare, quàm retinere res ſecundas. *Thucid. l.* 3.

Neque cujuſvis eſt corporis multum merum citrà ebrietatem ferre, neque temerè invenias, qui non in tanto rerum ſecundarum affluxu de poteſtate rationis exeat. *Plut. in Lucul.*

Plerique omnes fortuna aſpirante felicem rerum ſuarum exitum nacti, inflantur, inſoleſcunt, ac inſuper humanos, & communes caſus parum conſiderant. Indeque non pauci conſpiciuntur, ſecundam fortunam non ſecus, ac graviſſimum onus, minus commodè ſuſtinere. *Diodor. Sicul. hiſt. lib.* 6.

Secunda fortuna ad ſuperbiā prolabimur. *Tacit. Annal. l.* 11

Reb. ſecundis etiam egregii duces inſoleſcunt. *Idem hiſt. l.* 2.

Ea, quæ bona quibuſdam eſſe videntur, quamplurimos commovent ad injuriam faciendam. Nam nobilitas generis, copia divitiarum, amplitudo dignitatum, fortitudo animi, & magnitudo potentię in errorem homines inducunt. *Xiphil. in Cæſ. Aug.*

Virg. 1. Æneid.

*Neſcia mens, hominum fati, ſortiſque futuræ,*
*Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.*

PROSPERITATEM VULGUS ÆSTIMAT,
ET ADVERSITATEM FUGIT.

Id exemplo ſuo *Ovidius* demonſtrat *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 4. & alibi apta ſimilitudine oſtendit.

*Dum juvat, & vultu ridet fortuna ſereno,*
*Indelibatas cuncta ſequuntur opes.*
*At ſimul intonuit, fugiunt, nec noſcitur ulli,*
*Agminibus comitum qui modò cinctus erat.*
*Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,*
*Nunc mihi ſunt propriis cognita vera malis.*
*Vix duo, treſve mihi de tot ſupereſtis amicis:*
*Cætera fortunæ non mea turba fuit.*

Idem 1. Triſt. 3.

*Donec eris felix, multos numerabis amicos:*
*Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.*
*Adſpicis, ut veniant ad candida tecta columbæ,*
*Accipiat nullas ſordida turris aves.*
*Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,*
*Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.*
*Utque comes radios per Solis euntibus, umbra eſt,*
*Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit:*
*Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,*
*Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.*

Cùm quis poſitus in proſperitate diligitur, incertum eſt, utrùm proſperitas, an perſona diligatur. Amiſſio autem felicitatis interrogat vim dilectionis: nec proſperitas quippe amicum judicat, nec adverſitas inimicum celat. *ibid.*

☞ *Conſulatur etiam Locus de Mundo, & Homine.*

## * Proverbium.

### PAROEMIA. ADAGIUM.

#### Definitio, et Etymologia.

PRoverbium, quod Parœmiam dicunt Greci, variè Grammatici definiunt. Diomedes dicit eſſe ſermonem rebus, tēporibuſque accommodatum, quo aliud ſignificatur, quàm dicitur. Grecorum definitio eſt: παροίμιά ἐστι ἐπιλόγος ἐπικαλύπτων τῷ σαφὲς ἀσαφεία. Sermo rem manifeſtam obſcuritate contegens, verùm non ſatis diſtinguitur ab ænigmate, & Apologo.

Eraſmus ita deſcribit in initio operis excellentiſſimi Chiliadum ſuarum, Parœmia eſt celebre dictum, ſcita quapiam novitate inſigne. In qua deſcriptione requirunt nonnulli utilitatis nomen, ut quæ ad rationem adagii videtur pertinere.

Melius S. Baſilius initio *Proverb. Salomon.* ſeparans parœmiam trivialem à ſacra, vult etymologiam eſſe παρὰ τῷ οἶμος τὸ ὁδὸς ὥσπερ τρίμμα καὶ παροδικὸν, quod in viis paſſim per omnium ora obambulet. Confirmat Varro, qui Adagium, quaſi Ambagium, vel Circumagium dictum cenſuit. Itaque vulgarem Parœmiam ita vult definiri Baſilius: verbum viale [ οἶμος enim viam ſignificat; ] vulgi uſu tritum, quod à paucis ad plura ſimilia ſit idoneum transferri.

Adagio verò, ſive Proverbio ſacro hanc tribuit definitionem, quod ſit ſermo utilis moderata cum obſcuritate prolatus, multùm in ſe continens utilitatis, multùm etiam in receſſu intelligentiæ recondens, unde ab ænigmate diſtat, quod obſcuritatem, & difficultatem ad intelligendum ſibi intrinſecam habet, unde explicari debet à proponente, & conjectore eſt opus, ut conſtat ex ænigmate Samſonis *Judic.* 14. Differt quoque à γνῶμαι ſive ſententiis, quæ breviter, & ſcitè proferuntur. Ab Apologo, quòd ſit prolixior quàm parœmia, & plerumque impoſſibilia more fabularum recenſeat. A Parabola, quòd illa involvat ſimilitudinem, & comparationem unius cum altero.

#### COMMENDATIO. Ac Primum A Dignitate Scriptorum, et Antiquitate.

Cognitionem, & æſtimationem Adagiorum non minimo loco habitam, ſatis argumenti cenſetur, quòd primi nominis viri ea ſuis libris concipere non dubitaverint, & admiranda illis Myſteria valere. Inſtar omnium ſit potentiſſimus, & ſapientiſſimus Regum Salomon: qui Proverbiorum librum addito nominis proprii titulo poſteritati reliquit, idque ut initio inſinuat ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam, ad intelligendum verba prudentiæ, &c. Adde, quòd etiam Prophetæ, aliique Scriptores Eccleſiaſtici varia adagia ſuis ſcriptis inſeruerint: uti & ipſe Chriſtus ſuis dictis, ut conſtat apud Evangeliſtas variis locis.

Inter Ethnicos, Ariſtoteles, teſte Laertio, unicum: item Cryſippus duos parœmiarum libros ſcripſit. Deinde & Cleanthes: quorum tamen labores non exſtant. Reperiuntur & proverbiorum collectanea Plutarchi nomine, ſed paucula, eaque fermè nuda. Inter Parœmiographos ſubinde citatur, tum ab aliis, tum ab Athenæo in dipnologia, Clearchus Solenſis Ariſtotelis auditor, & Ariſtides: deinde Zenodotus, qui Dydimi, Tarrhæique parœmias in compendium redegit. Citantur & Theophraſti proverbia in Commentariolis Demoſthenis. Unde liquet, illos hiſce de rebus commentarios reliquiſſe. Citatur & Dæmon quiſpiam, cum ab aliis compluribus, tum ab eo qui dictiones aliquot ex orationibus Demoſthenis eſt interpretatus, qui multos de Proverbiis libros videtur compoſuiſſe. Nam citatur liber quadrageſimus. Extant & Diogeniani collectanea. Heſychii præfatio teſtatur ab ipſo copioſius explicata proverbia, quæ nudius recenſuit Diogenianus.

Symbolis, & locutionibus figuratis univerſa antiquitùs morum diſciplina comprehendebatur: in Europa Pythagoræorum, in Aſia, & Africa Ægyptiorum, Chaldæorum, Brachmanum, & Gymnoſophiſtarum. Veſtigia in Ori Apollinis Hieroglyphicis, Stobæi collectaneis, Triſmegiſti libris, & Zoroaſtris magicis oraculis ſuperſunt.

Sacras porrò Parœmias ex Catholicis Polydorus, & quidam alii colligere cœperunt: ſed planè, ne quid dicam aſperius, jejunè, & indiligenter eas tantùm delibarunt. Videre licèt in farragine Adagiorum, quæ Pariſiis prodiit ex Sonnii Typographio: poſteà quoque illa ipſa Manutius profanis miſcuit. Ex Novatoribus Calvinianus unus [ quem viderim ] ſacra ſelegit; parca manu, ſterili ſegete: nec ubique inoffenſo pede hoc ſtadium decurrit. Ante illos eruditiſſ. opus Eraſmus Roterodamus Adagiorum evulgavit, quo ſanè nihil doctius, & magis laborioſum. Scripſit quoque noviſſimè de Adagialibus ſacris Bibliorum Martinus Del. Rio è Societate Jesu.

#### Ab Utilitate.

Variam utilitatem Proverbiorum Rupert. ſuggerit, dum ſcribit ea valere non ſolùm ad occultandas porcis margaritas, ſed etiam, ut in earum difficultatibus bona exerceantur ingenia: hoc enim [ ut alibi ſcribit ] genus loquendi divinitùs proviſum tam ad delectandum diligentem lectorem, quàm etiam ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio renovandum, cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt. *Rupert. l. 9. in Joan.* Utilitas ergo magna eſt: quoniam brevitate memoriam adjuvant, & obſcuritate diligentiam acuunt; alliciunt lepore, & verborum ornatu, ſenſus acumine, ſententiæ gravitate, & commoda morum informatione, ſine faſtidio, aut periculo veram animæ ſapientiam infundunt.

#### A Persuadendi Efficacia.

Denique eruditiores viri ſemper efficaciſſimam vim Adagiis ad perſuadendum ineſſe cenſuerunt. Trium teſtimonio ſtet hoc verbum.

*Fabius l. 5. Inſt.* ſic ſcribit: Ne hæc quidem vulgò dicta, & recepta perſuaſione populari, ſine uſu fuerint teſtimonia. Sunt enim quodammodo, vel potentiora etiam: quod non cauſis accommodata, ſed liberis odio, & gratia mentibus ideò tantùm dicta, factaque, quia aut honeſtiſſima, aut veriſſima videbantur. Hoc ipſo quod incertum authorem habent, velut omnium fiunt. Neque duraſſent hæc in æternum, niſi vera omnibus viderentur.

*Plut. l. Quo pacto ſint audiendi poetæ*, veterum parœmias docet ſacrorum Myſteriis ſimiles eſſe; in quibus maximæ, & divinæ res minutis ſignis, ac ritibus in ſpeciem penè ridiculis, ſignificabantur: ſic Adagiis curtis & ſuccinctis ea vulgò, & compendioſè indicari, quæ à Philoſophiæ principibus, multorum voluminum ſcriptione ſunt declarata.

*Ariſtot.* denique apud Syneſium, exiſtimat, nihil aliud eſſe parœmiam, quàm reliquas illius veteris Philoſophiæ, maximis humanarum rerum cladibus extinctæ: eaſque ſervatas eſſe, partim ob feſtivitatem, & leporem: ideòque nec ſegniter, nec oſcitanter, ſed preſſius, atque penitus inſpiciendas: ſubeſſe enim velut igniculos quoſdam vetuſtæ ſapientiæ; quæ in perveſtiganda veritate multò fuerit perſpicacior, quàm poſteriores Philoſophi fuerunt.

#### A Fontibus, unde eruuntur.

Fontes parœmiarum nobis eruditè recluſit Deſid. Eraſm. in Procemio ad Chiliades, dum ſcribit eaſdem deſumi poſſe, vel

#### Ab ipsa re.

Sumitur interdū ab ipſa re, quoties hominē ſceleſtū ſcelus appellamus: dedecoroſū, dedecus: peſtilentem, peſtem: lurconem, barathrum: contaminatum, labem: ſpurcū, cœnum: contemptū quiſquilias: impurum, ſterquilinium: moleſtum, ulcus: carcere dignum, carcerem. Quorum unumquodq; ferè poteſt & per comparationem afferri, ut, auro magis aurea, & ipſa nequitia nequior. Cæcitate cæcior, loquacitate loquacior, deformitate deformior, ipſa ſiti ſiticuloſior, paupertate pauperior.

Ad hæc pertinent & illa: Pater eruditionum, & omnis eloquentiæ fons, & plus quam inſaniſſimus, plus quam perditus.

#### A Rebus Similibus.

Huic proxima ſunt, quæ à rebus ſimilibus trahuntur. Ut, melle dulcior, pice nigrior, nive candidior, oleo tranquillior. Infima aura mollior. Auro purior. Plumbo ſtupidior. Stipite tardior. Litore ſurdior. Iracundior Adria. Spongia bibacior. Arenis ſitientior. Pumice ſiccior. Aere Dodonæo loquacior. Vitro fragilior. Pila volubilior. Cothurno inſtabilior. Alvo procerior. Sole clarius. Sidere pulchrior. Buxo pallidior. Sardois herbis amarior. Ætna æſtuantior. Beta inſulſior. Trutina juſtior. Spina diſtortior. Pluma levior, Vento inſtabilior. Morte odioſior. Barathro capacior: Labyrintho involutior. Subere levior. Dolio pertuſo incontinentior. Laterna Punica perlucentior. Clepſydra perſtillantior. Fonte purior. Euripo mobilior. Oculis charior. Luce dulcior. Vita antiquior, Cramba recocta moleſtior. Clavo purior. Floralibus licentioſior.

#### Ab Animantibus.

Etiam ab Animantibus, ut, Muliere loquacior. Paſſere ſalacior. Hirco libidinoſior. Cervo vivacior. Cornice annoſior. Vipera virulentior. Vulpe fraudulẽtior. Echinno aſperior. Lepore timidior. Limace tardior. Piſce ſanior. Delphino laſcivior. Phœnice rarior. Vulture edacior. Glire ſomniculoſior. Sue indoctior. Aſello ſtolidior. Damma pavidior. Cane rixoſior.

Congeſſit & Lucianus quædam: Cùm ſint iracundiores catellis, timidiores leporibus, adulantiores ſimiis, libidinoſiores aſinis, rapaciores felibus, contentioſiores gallis gallinaceis.

Et Plutarchus, Cùm minus fidei tibi habeatur quàm graculo, magis mutus ſis, quàm perdix, abiectior, ſerviliorque cane.



#### A Personis Deorum.

Ducuntur à perſonis Deorum: Diana intactior. Ipſis Charitatibus humanior. Priapo ſalacior. Venere formoſior. Mercurio facundior, Momo mordacior. Protheo mutabilior.

#### A Personis Fabulosis.

Tantalo ſitientior. Atreo crudelior. Cyclope immanior. Oreſte inſanior. Ulyſſe doloſior. Neſtore facundior. Glauco ſtupidior. Iro pauperior. Penelope Caſtior. Nereo formoſior. Tithono vivacior. Eriſichtone eſurientior. Niobe fœcundior. Stentore clamoſior. Tiræſia cæſior. Buſiride illaudatior. Labyrintho intricatior. Dædalo ingenioſior. Icaro audacior. Gigantibus elatior. Gryllo ſtultior. Lynceo perſpicacior.

#### A Personis Comoediarum.

Thraſone Terentiano glorioſior. Demea jurgioſior. Mitione facilior. Gnathone adulantior. Phormione confidentior. Davo verſutior. Thaide Blandior. Euclione parcior.

#### A Personis Historiarum.

Zoilo invidentior. Catone ſeverior. Timone immanior. Phalaride crudelior. Timotheo felicior. Sardanapalo nequior. Numa religioſior. Phocyone juſtior. Ariſtide incorruptior. Crœſo ditior. Craſſo nummatior. Codro pauperior. Æſopo luxurioſior. Heroſtrato ambitioſior. Fabio cunctatior. Socrate patientior. Milone robuſtior. Chryſippo acutior. Trachalo vocalior. Curione obliviſior. Noſtri temporis Ariſtarchus. Chriſtianorum Epicurus. Item, præpoſterus Cato.

#### A Gentibus.

Pœno perfidior. Scytha aſperior. Scythotauris inhoſpitalior. Cretenſi mendacior. Parthis vanior. Thracibus bibacior. Theſſalo perfidior. Care vilior. Mileſiis effæminatior. Arabibus ditior. Pygmæo brevior. Arcade ſtolidior.

#### Ab Officiis.

Lenone magis perjurus. Cinædo mollior. Milite glorioſior. Areopagita triſtior. Tyranno violentior. Carnifice immanior.

---

## * Providentia.

#### Definitio, et Etymologia.

PRovidentia, Græcè πρόνοια, & προνοητικὸς, providus: & προνοέω, provideo dicitur. Hebr. verbum *Schagach* ſignificat, proſpexit conſideratè, ſpeculatus eſt cum inclinatione corporis. Inde Gal. *Sage*, nempe ſagax, & providus. *Vide Etymolog. trilingue Lugd. pag.* 538.

Eſt autem providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit. *Secund. Cicer. in Rhetor.*

Providentia eſt notio futurum pertractans eventum. Cujus officium eſt ex præſentibus futura perpendere adversùs advenientem calamitatem ſe conſilio prævenire. 2. *Auguſt. de ſpiritu, & anima.*

Juxta mentem *Sineſii Cyrenæi*, Providentia eſt: cujus beneficio ſi non negligentes ſimus, ſed utamur iis, quæ ab ipſa habemus, omninò beati eſſe poterimus. Neque enim providentia inſtar matris eſt modò in lucem editi infantis, quam occupari oportet in ambigendis iis, quæ advolare volunt, & affligere, cum inchoatus ille adhuc ſit, neque à ſe aut inteſtinum præſidium habeat: Sed ejus matris inſtar habet, quæ cùm vires ſoboli, & arma ſuppeditavit, uti his illam jubet, & mala propulſare. In his & philoſophari ſemper debes, & horum cognitioni nihil eſſe homini præferendum, ducere. Qui enim pii ſunt, & ſimul ſeduli homines, ii & providentiam eſſe ſtatuent, & ſeſe ipſi non negligent: neque exiſtimabunt Dei adverſionem, & uſum virtutis, inter ſe diſſidere & diſcordare. *De Providentia, lib.* 1.

#### Eam in Deo principaliter reperiri.

*Vt à quo humanæ res temperantur, & reguntur.*

#### Qui negaverint.

Fuere inter veteres nonnulli, qui omnem divinitatem, & providentiam è mundo ſuſtulere, ut Diagoras Mileſius. Protagoras Abderites, Theodorus Sophiſta, ejuſque diſcipulus Bion, & Lucianus omnium Numinum irriſor. *Plinius* autem *lib. 2. cap. 7.* dubitat an præter Solem aliud ſit numen.

Alii providentiam dumtaxat negarunt, ut Democritus, Heraclitus, Epicurus: qui omnia putabant vi naturæ evenire, teſte *Lactantio lib. 1. de ira Dei cap. 9. &* 10. aut fortuito atomorum concurſu, ut colligitur ex Lucretio: neque enim ad Dei majeſtatem volunt pertinere, ut ad ſingula, quæ in mundo ſunt, attendat, attamen ut rectè *Auguſt. lib. 5 de Civit. cap. 9. contra Ciceronem.* Confiteri eſſe Deum, & negare preſcium futurorum, apertiſſima eſt inſania.

#### Veritas asseritur

*Ex quindecim rationibus.*

Eſſe igitur numen aliquod ſupremum, cujus providentia res humanæ, & omnia reliqua gubernantur, quod eſt Deus; non tantùm ex revelatione divina per fidem habemus, ſed etiam multis rationibus, & per ea, quæ nobis nota ſunt, ſolidè probari poteſt. Quindecim autem potiſſimùm occurrunt, quæ hanc veritatem ſolidè demonſtrent.

I. Omnium Sapientum, & Gentium confeſſio. Omnes enim numen aliquod confeſſi, quod omnia regeret, & curam gereret omnium. Nullam enim gentem tam barbaram Cicero enuntiat, quæ licèt ignoret, qualem Deum habere debeat, habendum tamen ſciat. Omnes certè Philoſophi Deum, & providentiam conſtituere, ut oſtendit Auguſtinus Eugubinus, *in ſuo opere de perenni Philoſophia.* Sic docuere Patriarchæ, Prophetæ omnes, Poetæ antiqui, & Sacerdotes, Magi, ac præcipuæ Philoſophorum ſectæ. Audiamus Sophoclem in Elect.

> Ἔστι μέγας ἐν οὐρανῷ
> Ζεὺς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.
> *Eſt magnus in cœlo*
> *Jupiter, qui inſpicit omnia, & imperat.*
> προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
> Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.
> *Providentia nullum hominibus poſſibile eſt.*
> *Lucrum capere melius, neque mente ſapiente.*

*Ovidius lib. 3. Amor. Eleg.* 8.

> *Cùm rapiant mala fata bonos, ignoſcite falſo,*
> *Sollicitor nullos eſſe putare Deos.*
> *Vive pius: moriere pius, cole ſacra, colentem,*
> *Mors gravis à templis in cava buſta trahet.*

II. Ex motu orbium cæleſtium.

III. Ex eo quòd res corporales, & aſpectabiles non poſſint eſſe à ſeipſis.

IV. Ex rerum pulchritudine, & ſtructura univerſi.

V. Ex ſtructura partium mundi in ordine ad finem.

VI. Ex ſtructura partium in animalibus, & plantis in ordine ad finem.

VII. Ex eo quòd omnium operationes ordinatiſſimè ad finem tendunt.

VIII. Ex vultuum, & vocum diverſitate, mundique paupertate.

IX. Ex miraculis.

X. Ex prædictionibus, & occultorum revelatione.

XI. Ex Spiritibus.

XII. Ex eo quòd nihil debeat manere inordinatum.

XIII. Ex animæ immortalitate: & variis divinæ ſeveritatis, ac benignitatis exemplis.

XIV. Ex morum, & vitæ directione.

XV. Ex pœnis, quæ blaſphemis, perjuris, & ſacrilegis repentè irrogantur.

Omnes has rationes eruditè, & luculenter deducit Leonardus è Societate Jesu Theologus excellens in ſuo nupero *tract. de Providentia numinis.*

Addam Salviani hac de re ſententiam. Ita enim ſcribit, *l. 1. de Provid.* Similis eſt Deus gubernatori: Sicut enim navigans gubernator nunquam manum ſuam à gubernando, ſic nunquam penitus curam ſuam tollit à mundo; at ſicut ille & auras captans, & ſaxa vitans, & ſaxa ſuſcipiens totus ſit ſimul, tam corporis, quam cordis officio ſuo deditus: Ita Deum noſtrum ab univerſitate omnium rerum, nec munus dignantiſſimæ viſionis avertere, nec regimen ſuæ providentiæ tollere, nec indulgentiam benigniſſimæ pietatis auferre. *Salu. l. 1. de Provid.*

Credendum eſt, ſicut in curru aurigam, aut in navi gubernatorem: ita in rebus omnibus ſuperſtare eum, qui præeſt corporibus, animabus, animantibus, mentibus, Angelis, cunctis, quæ terra vel aere, vel cælo continentur naturis tum viſibilibus, cum inviſibilibus. Totum enim mundum ex ſe pendentem regit. *Phil. l. de ſomn.*

☞ *Pleraque ex loco de Deo ad hunc Titulum transferantur.*
*De providentia Dei, & aliorum hominum.*

#### Exempla, et Apophthegmata.

Socrates dicebat, ſi quid curare potes, illud cures: at ſi Deus ipſe te curat, cur tu ſollicitus tibi ſis? *Ant. & Max. ſer. de Prov.*

Plato,

Plato, Virtus, inquit, nec ſub doctrinam cadit, nec eſt natu-
A ralis, ſed divino fato ineſt iis, qui eam habent. *Eod. ſerm.*

Idem, Deus omnia, inquit, & ſecundum Deum fortuna, & occaſio humana gubernant univerſa. *Ibid.*

Coſmus Florentinus Alphonſo Aragonum Regi malè pacatus, vir alioqui magnus, & illuſtris, cùm dono miſiſſet Regi Titi Livii libros utique præclaros, reclamatum eſt à Medicis regiis, qui aderant, ne librum attrectaret ab hoſte miſſum, quem veneno infectum in Regis interitum putabant. Verùm Alphonſus, cùm aliquandiu videretur Medicis aſſentire, demum Livium manibus attrectans, hinc indeque legens, & relegens quaſdam hiſtorias, ad ſuos converſus ait: An ignoratis, Regum animos non privatorum libidini ſubjectos eſſe, ſed ſub cura Dei ſecuros, & lætos agere? Senſit vir prudentiſſimus, divina providentia cùm regantur omnia, cor Regis (qui eſt Dei, ut Paulus ait, miniſter) ſemper eſſe in manu Domini, qui regit, & flectit, quò vult, contra omnia noſtra conſilia. *Ant. Panorm. de reb. geſtis Alphonſi, & Æneas Sylvius de ejus dictis.*

Chilon frequenter dicere ſolitus eſt: Cave tibi ipſi, & cave te ipſum. Quorum primo admonuit, cautè agendum eſſe
B cum hominibus, ne fraude circumventi decipiantur. Deinde unumquemque ſibi ſuſpectum eſſe oportere. Omnes enim ferè cavent ſibi ab aliis: tamen interdum nemo magis hoſtis eſt homini, quàm homo ſibi ipſi: quo fit, ut cùm aliis imponimus, noſmetipſos perdamus. *Laert. in vita Chilon.*

Antiſthenes dicere ſolebat, ſapienti nihil eſſe novum, aut ſubitum: eò quod, quicquid homini poteſt accidere, ſit tam præmeditatus, ut nunquam dicat, non putaram. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Tiſſaphernes Perſarum dux cum Ageſilao fœdus non ex animo, ſed metu percuſſerat, hac lege, ut Græcas civitates fineret liberè, ſuiſque vivere legibus, mox ingentibus copiis à Rege ſuo accerſitis, bellum illi denunciavit, ni Aſia decederet. Hoc fœdus violatum libenter arripuit, Ageſilaus legatus hilari vultu reſpondens: ſe magnam habere gratiam Tiſſapherni, quòd perjurio ſuo & Deos, & homines ſibi infenſos reddidiſſet, adverſæ verò parti propitios. Rectè ſenſit, abſque providentia Dei nihil geri in rebus mortalium, magiſque fi-
C dendum divino favori, quàm humanis conſiliis, aut viribus. *Plut. in Lacon.*

Sub Epaminonda Thebano duce nunquam evenit, ut exercitum invaderet tumultus Panicus, qui ſubitò præter cauſam interdum oboriri ſolet: propter ſummam præſtantiſſimi hujus ducis providentiam. *Plut. in Græc. Apoph.*

---

## * Provincia.

### * Definitio, et Etymologia.

PRovincia ἐπαρχία eſt propriè Regio, bello acquiſita extra Italiam, teſte Hegeſippo, qui dicit, Romanos appellaſſe Provincias, longè poſitas Regiones, quæ ſe fidei Romanorum darent. Olim vox latius patebat quàm Diœceſis, cùm una provincia plures haberet Diœceſes, ut conſtat ex *lib. 13. Epiſt. Cicer. ad P. Servilium, & lib. 3. ad Familiares.*

Poſtmodum tamen Diœceſes dictæ adminiſtrationes plurium Provinciarum, quæ in unum coactæ per Præfectos, vel eorum Vicarios regebantur.

Primum autem hoc nomen honoris, & præeminentiæ ergo
D tributum fuit Siciliæ: quod ut ait *Cicer. in Verrem. 9.* omnium nationum exterarum princeps, ſed ad amicitiam, fidemque Populi Romani applicuerit.

### Genera varia.

Provinciæ libera Republica trium erant generum, quædam erant Conſulares, ſeu Proconſulares: ad quas regendas mittebantur cum Imperio lege curiata, finito magiſtratu, qui conſulatum geſſerant. *Cæſ. lib. 1. bell. Civil.* Aliæ prætoriæ: Aliæ quæſtoriæ. Sub Imperatoribus etiam tria fuere genera. Proconſulares, Prætoriæ, & Præſidiales. *Lamprid. in Alex. Severo,* provincias prætorias præſidiales plurimas fecit, Proconſulares ex Senatus voluntate ordinavit.

Paulò aliter *Capitolinus in M. Antonio,* provincias ex Proconſularibus Conſulares, aut ex Conſularibus Proconſulares, aut prætorias pro belli neceſſitate fecit. Proconſulares vocat eas, quæ ab aliis dicuntur præſidiales, quia præſides, & legati provinciarum, poſteà dicti ſunt Proconſules, niſi Capitolinum loqui dicas de provinciis, in quas conſulares ab Adriano miſſi, quæ ipſe conſulares dictæ.

Sed ut ex mente Lampridii loquamur, Proconſulares, & prætoriæ fuere in populi poteſtate, præſidiales propriè Prin- E
cipis ex inſtitutione Cæſaris quas ſæpè ſubmutarunt principes, cùm temporaria permutatio jus provinciæ non mutet, *l. 134. D. de reg. juris Dio lib. 53.*

Proconſulares reliquis omnibus auctoritate, & dignitate antecellunt. *Novel. 103.* Aliæ omnes ferè partes, quæ ſolum Imperatoris nutum reſpiciebant, cùm Princeps ex Senatus judicio Proconſulares ordinaret.

Orientis Diœceſis ex notitia Imperii, quindecim habuit Provincias, quarum quinque conſulares, Syria, Palæſtina, Phœnice, Cilicia, Cyprus. Præſidiales decem, Palæſtina ſecunda. Palæſtina ſalutaris, Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria Salutaris, Meſopotamia, Oſchœna, Cilicia ſecunda. Arabia & Iſauria. Cilicia ſecunda dicta eſt & Trachea, cui Veſpaſianus provinciæ formam dedit.

Provinciæ Occidentis plures fuerunt. In Italia 10. & 7. provinciæ, quarum octo à conſularibus, duo à correctoribus, 7. à Præſidibus regebantur. In Illyrico ſex provinciæ, quarum 4. Præſidibus, una conſulari, altera correctori patebat, tertia duci. Breviarium Rufi ſeptimam Illyrico pro- F
vinciam tribuit, quæ fuit Valeria, tertia ſcilicet Pannonia duci obnoxia.

Cæteræ Regiones in ſuas etiam Provincias diviſæ fuerunt, ut in particulari reperire eſt apud *Bulingerum de Imperio Rom. l. 2.* cujus laboribus uſi hic fuimus.

### Provinciarum Rectores
### Qua Potestate Præfulserint.

Omnes Provinciarum Rectores in provincia, quam regebant, cunctis majus Imperium habebant, & in ſontes animadvertebant, *l. 1. l. illicitas, D. de offic. præſid.* & Senatorem in provincia morantem judicabant, *l. 2. C. ubi ſenat. vel clariſ.*

Magiſtratibus omnibus in Provincias venientibus per aliquot ſtadia decuriones occurrebant, exceptis advocatis, qui portis egredi non cogebantur, *l. 1. C. quib. muner. excuſ.*

Nullus Rectorum, cùm provincias circumiret, ad privatos divertere poterat, ſed in manſionibus curſus publici hoſpitabatur.

Aliæ domus, ad quas declinaſſent, publicabantur, *l. 4. Cod. Theodoſ. de offic. Rect. provinc.* G

Rectores omnes officia cohortalium habebant, *l. 1. de off. præf. præt. afr. §. Deo nobis.*

Decidente Imperio, nullæ provinciæ prætoriæ fuere. Sub Auguſto populus prætorias, & proconſulares provincias ſuffragio ſuo aſſignabat.

Auctus deinde ſeneſcente Imperio provinciarum numerus, maximè poſt Conſtantini Magni ætatem. Præcipua cura Rectorum omnium fuit, ut vectigalia ſedulo exigerentur, omnibus Rectoribus codices mandatorum Principis, & codicillos magiſtratus cum inſignibus depictos, Notarii majoris laterculi exhibebant, pro quibus aliquot aureos ſolvebant. *Novel. 24.*

Cohortales Rectores omnes in publicum prodeuntes præcedebant. *Niceph. lib. 10. cap. 22.*

Julianus Auguſt. prohibuit, ne apparitores præſidibus præirent, quando delubrum ingrederentur Deorum honoris gratia. Aliàs permiſit, ut lictores cum faſcibus, & ſecuribus præirent. De lictoribus legendus *Lipſius in Electis.*

### Insignia Rectorum Provinciarum. H

Omnes Rectores eadem fermè inſignia gerebant, librum ſcilicet mandatorum abaco impoſitum ſubtracto tapete. Iiſdem vultus Principum in ſumma aurea pila expreſſi præferebantur. *Caſſiodor. in for. conſular.*

Iidem purpura, & torque aureo ornabantur. *Tertul. lib. de idolol.*

Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios, & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ Sacerdotum provincialium. *S. Ambroſ. de obitu Valentiniani,* torques inſignia victoriæ eſſe dubitari non poteſt.

Rectoribus omnibus cingulum datum, *l. 1. C. ut dign. ordo ſer.*

Omnibus aſſeſſores fuere, omnibus annonæ datæ, id eſt, alimenta, & pabula equis, *l. 2. C. de curſu publ.* Reſpub. inquit, Conſtantinus, præſidibus annonas, & alimenta eorum pecoribus ſubminiſtrat. Quod vetus inſtitutum fuit. Nam lege Julia

Provin-



provinciæ proconſulibus, & à prætoribus fœnum, ligna, le-
A ctos, ſupellectilem, & rectum dabant.

Ex publico item argentum datum. *Cicero l. 5. in Verrem.* Hominem, qui cum poteſtate ex largitione in provinciam eſſet profecturus, tam amentem eſſe putaverunt, ut emeret argentum, dabatur enim ex publico, ut noſtis.

Theodoſius Junior certam Magiſtratibus pecuniam numerari præcepit, *l. 1. C. de Annon. & Capital.*

---

## Provocatio. Provocare.

### * Definitio, et Etymologia.

PRovocare ἐπικαλεῖσθαι eſt propriè majoris judicis, poteſtatiſve opem implorare, quod alio nomine Appellare dicunt. Sic *Cicero ad Attic.* Cùm alter ad Senatum provocaſſet, alter appellaſſet Tribunos. Quamvis latius ejus ſignificatio extendatur, ut ex dicendis conſtabit.

### Quem Provocare.

*Amicum.*

B Cyrus Perſarum Rex, quibus rebus concedebat amicis, ad hæc cum provocaret eos, ſuavis his erat, & jucundus. *Plut. l. 2. Quæſt. convival. 1.*

*Rivalem.*

Cheron Theſſalus pollicem ſiniſtræ manus parieti admotum præſcidit, ſpectante amaſio, rivalem provocans. *Plut. in Amatorio.*

*Hoſtem.*

### Ad Quid. Ad

*Judicium Dei.*

☞ *Vide Locum Divinationis: item, Veritatis occaſiones amplecti, item ex profeſſo, ac Appellatione.*

*Judicium humanum.*

Appellationes, & peregrina inſtituere ſubſellia Græci primùm ob mutuam diffidentiam commenti ſunt, quaſi adſcititiam juſtitiam, ſicut rem neceſſariam aliam, quæ apud ipſos non proveniret, deſiderarent. *Plut. de Nat. char. in progeniem.*

Ageſipolis Pauſaniæ, Athenienſibus de controverſiis mutuis adverſus eum ad civitatem Megarenſem provocantibus.
C Turpe eſt, inquit, Athenienſes Græcorum duces minus quàm Megarenſes, quid æquum, bonumque ſit, ſcire. *Plut. in apopb.* ☞ *Videatur Appellatio.*

*Formæ periculum.*

Phryne meretrix in convivio. ☞ *Conſule Locum de Fuco, Pulchritudine, &c.*

*Certamen. Bellum.*

Totilas Gothorum Rex cùm Romanos Ariminum prætєriiſſe audiſſet, Tuſciam omnem hos conquirendo emenſus ad Apenninum pervenit, atque ad Taginam vicum caſtra fecit. Quò eodem haud ita multò poſt Narſes Græcorum dux advenit, ac non longè ſtadiis centum in ipſa planicie conſtitit ei loco propinqua, in quo Camillus quondam Gallos occidione occiderat, ita ut adhuc ejus cladis monumenta exſtarent, ac ſtatim nuncios ad Totilam miſit, monitum, ut aut pace agenda ſibi conſuleret, aut ſi belli avidior eſſet, ut diem prælio conſtitueret. Quibus Totilas certare ſe velle reſpondit. Commiſſo prælio Gothorum millia multa cæſa, Totilas in fuga lethali vulnere accepto periit. *Sigonius lib. 19. Imp.*
D *Occident.*

Magnus Sfortia, miſſus à Joanna Neapolitana Regina, ut urbem Romam impotenti Braccii Montonenſis dominatu liberaret, miſſa per præconem cruenta chirotheca, ut juſto prælio certaretur, Braccium provocavit: ſupraque Oſtiam Tyberis ponte conſtrato exercitum traduxit, victoriæque fiducia pontem reſcindi juſſit. Braccius omnibus ferè relictis, in Umbriæ fines citato agmine abiit. *Jovius in vita Sfortiæ.*

☞ *Ex loco de Appellatione nonnulla.*

---

## Prudentia.

### Definitio, et Etymologia.

PRudentiæ nomen dictum videtur à porrò videndo, teſte *Iſidoro l. 10. Etymol. cap. 15.* Prudens, inquit, dicitur, quaſi porrò videns. Perſpicax enim eſt, & incertorum videt caſus Græci vocant φρόνησιν παρὰ τὸ φρονεῖν; quod ſapere, intellige- E
re, cogitare ſignificat, cum affectu quodam ad rem cogitatam: Hoc autem ἀπὸ τῆς φρενὸς, quod mentem denotat, derivatur. Variis autem modis definiri poteſt.



*D. Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 13.* definit, Prudentiam eſſe rerum appetendarum, & fugendarum ſcientiam.

*Lib. 83. qq. q. 30.* Eſſe rerum bonarum, & malarum, & neutrarum ſcientiam.

*Ariſtoteles lib. 8. Ethic. cap. 5.* Prudentia eſt habitus cum ratione vera circa bona humanæ actionis. Ubi quidam legunt, eſt habitus verus.

*Alii ex eod. Ariſtot.* ſic: Prudentia eſt recta ratio agendorum.

Hæ omnes definitiones bonæ ſunt: clarius tamen ſic definiri poteſt: Prudentia eſt virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honeſtum ſit, quid turpe.

### * Acceptio varia.
### Item dignitas.

Accipitur Prudentia dupliciter. Primò generatim pro omni notitia veri, præſertim quæ aliquo modo ad rectè F
vivendum pertinet. Hoc modo *D. Ambroſ. lib. 1. de offic. cap. 24.* dixit, Prudentiam in veri inveſtigatione verſari, & ſcientiæ plenioris infundere cupiditatem, ut notavit *D. Thomas quæſt. 47. art. 2. ad 2.* Sic accepta comprehendit etiam fidem, & Theologiam, & ſæpè in Scripturis vocatur Sapientia, ut *Eccleſiaſt. 3. & 33. Proverb. 3. & 8. Sap. 6. & alibi.*

Secundò ſpeciatim, & propriè, pro virtute intellectus proximè morum directrice. Hoc modo eſt virtus cardinalis. Hanc D. Antoninus, teſte *Caſſian. collat. 2. c. 2.* omnibus aliis virtutibus præferebat, tanquam directricem cæterarum, quæ non ſinat eas à recto ad dextram, vel ſiniſtram deflectere. Cæteras enim virtutes, ſi diſcretio abſit, neceſſariò impingere, vel nimio fervore, vel torpore, & remiſſione: hanc ſolam efficere, ut regia via incedant. Item hanc eſſe, quæ in Evangelio vocetur oculus, & lucerna corporis noſtri, à qua totum virtutum veluti corpus ſit illuſtrandum, &c.

*D. Ambroſ. l. 1. de offic. c. 27.* dicit, prudentiam eſſe primum officii (id eſt, boni operis) fontem. Sine hac nec juſtitiam, nec aliam virtutem eſſe poſſe.

Idem docet *D. Auguſt. l. 1. de morib. Eccleſiæ c. 24.* Ex quibus G
conſtat, quanti hæc virtus ſit momenti, quantoque ſtudio comparanda.

Prudentia virtutum princeps eſt, reliquiſque omnibus utitur, atque ipſarum ordinem, modum, & occaſionem in præſentia tanquam oculus quidam mentis undequaque luсidiſſimus, oſtendit. Generatur ergo hæc primùm à ſincera, perfectaque mente, atque ſic genita in ipſam mentem intuetur, & qua perficitur, modumque, & exemplar inde ſibi pulcherrimum omnium ſuarum actionum habet. Quod ſi quæ nobis etiam cum diis intercedit communitas, ea maximè virtutis hujus gratia conſiſtit, & per hanc imprimis ipſis aſſimilamur. Hujus beneficio bona, & utilia, honeſta, & turpia diſcernimus, factaque convenientia judicamus, ac emendamus. Denique ut paucis omnia complectar, gubernatrix eſt hominum, & omnis inter ipſos conſtitutionis princeps. Quin etiam civitates, & familias privatamque ſingulorum vitam, ad exemplar divinum referens, qua poteſt optima ſimilitudine, depingit. Hoc delet, illud inſcribit, utrobique aſſimilationis modo ſtudens. Meritò igitur Deo ſimiles facit ſui poſſeſſores prudentia. H
*Jamblic. in ep. ad Aphalum.*

Menander.

Ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστ' ἀεί.
*Bonum maximum prudentia eſt ſemper.*
Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
*Viri character ex ſermone cognoſcitur.*
Ἂν εὖ φρονῇς, τὰ πάντα γ' εὐδαίμων ἔσῃ.
*Si bene prudens ſis, omnibus fortunatus eris.*
Ἔνιοι κακῶς φρονοῦσι πράττοντες καλῶς.
*Nonnulli non prudentes ſunt agentes bene.*
Γεννητὸς πεφυκὼς φεῦγε τὴν πανουργίαν.
*Prudens natus fuge malignitatem.*

### * Apophthegmata.

Socrates interrogatus, quid eſſet prudentia? Animæ reſpondit concinnitas. *Stob. ſerm. de prudentia.* Idem, Ut navis vacua, inquit, inſtrumentis convenientibus, ſic vita pruden-



tiæ

tiæ affectibus munienda eſt, atque inſtruenda. *Stob.ibid.* Idem: A Nec equo, inquit, ſine fræno, neque divitiis ſine prudentia tutò quis uti poterit. *Eod.ſerm.* Idem: Soli prudentiæ, tanquam conſultiſſimo tutori, ut vitam omnem, ita maximè juventutem credere convenire, dicebat. *Eod.ſerm.* Idem, ſciſcitatus: Quinam prudentes eſſent? Qui non facilè delinquunt, reſpondit. *Eod.ſerm.* Idem, adhortabatur ſubinde ſuos diſcipulos, ut hæc tria in omni vita ſibi pararent, ut in animo ſcilicet haberent Prudentiam, in lingua Silentium, & in vultu Verecundiam. *Max.ſerm.41.*

Bias, Conſidera, inquit, & poſteà rem aggredere. Item: Aggredere tardus agenda, aggreſſus age conſtans. *Laert.*

Periander, Ea facito, inquit, quorum non te pœniteat. *Idem.*

Democritus dicebat, ſapientiam, & prudentiam, quæ nihil admiraretur, omnium rerum eſſe digniſſimam, & pretioſiſſimam. *Stob.ſerm.3.*

Periander quærenti, quid in minimo maximum eſſet reſpondit, prudentes cogitationes animæ in corpore humano, *Stob. ibid.*

Jamblichus, Prudentia, inquit, virtutum princeps eſt, reliquiſque omnibus utitur, atque ipſarum ordinem, mo- B dum, & occaſionem in præſentia, tanquam oculus quidam mentis undequaque luzidiſſimus, oſtendit, &c. Tandem addit, prudentia ſui poſſeſſores efficit Deo ſimiles. *Stob.ſerm. de prudentia.*

Criton, Prudens vir, inquit, ad vitam, quaſi ad viam quandam, non pretioſius viaticum, ſed quod magis neceſſarium eſt, comparat. *Eod.ſerm.*

Bion dicebat, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris ſenſibus præſtaret viſus. Nam oculi prælucent toti corpori, nec ulla eſt virtus abſque prudentia. Nam quomodo juſtus redderet cuique ſuum, niſi prudentia commonſtret, quid debeatur? *Laert. libr. 4. cap. 7.*

Antiſthenes dicere ſolebat, Tutiſſimum eſſe murum prudentiam, quòd is nec collabitur, nec proditur. Nulla quippe mœnia ſunt tam munita, quin machinis, aut ſuffoſſionibus, aut vallorum proditione capiantur. Prudentis autem decreta ſunt inexpugnabilia. *Laert.l.6.c.1.*

Iſocrates dicebat, virum frugi, & prudentem debere Præteritorum meminiſſe: agere Præſentia: Futura cavere. *Stob.* C *ſerm.1.*

Ageſilaus, cùm pugnaretur apud Mantineam, admonuit Lacedæmonios, ut cæteris omiſſis omnibus in unum Epaminondam intenderent vim prælii, dicens ſolos cordatos milites authores eſſe victoriæ. Quod cùm feciſſent, victoriam nacti ſunt. Hac voce conſuluit Ageſilaus incolumitati ſuorum, qui fuerant ſine dubio manu hoſtium perituri. Simul illud docuit, in bello plus habere momenti unum verè prudentem, quàm turbam imprudentum. *Plut. in Lacon.*

Archidamus, cùm bello Arcadas ſuperaſſet, ob id laudatus à quodam: Præſtantius erat, inquit, ſi illos prudentia quàm viribus ſuperaſſemus. *Ibid.*

Scipio minor juvenis etiamnum, tantam habebat opinionem fortitudinis, & prudentiæ, ut Cato ſenior interrogatus de his, qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat, & Scipio Junior, Homerico verſu reſponderit:

*Ille ſapit ſolus, volitant alii velut umbra.*

De Tireſia dictum eſt apud Homerum *Odyſ.x. Plut. in apophth.*

Celebratur illud Euripidis dictum, Unicum conſilium re- D ctum magnam militum manum vincere. Quo prudenter admonuit, non perinde referre quàm numeroſum educas exercitum, ſed quàm cordati ſunt exercitus duces. In bello ſiquidem longè plus habent momenti prudentia, ſolertiaque, quàm vires conſilii expertes. *Eraſm. l.8. apopb.*

Gregorius Theol. Qui ſerpentis prudentiam in malis columbinæ ſinceritati circa bona miſcuerit, is neque prudentiam ſinet malignam fieri, neque ſimplicitatem ſtolidam. *Stob. ſerm. de prudentia.*

Lycurgus Lacedæmoniorum Rex, percontanti quam ob cauſam non uterentur legibus ſcriptis: Quoniam, inquit, eruditi qui ſunt, beneque educati, probant quid pro ratione temporis expediat. *Plut. in Lacon.*

*Ovid. Metam. lib.13. fab.1.* verba Ulyſſis contra Ajacem.

*—— Tibi dextera bello*
*Utilis, ingenium eſt, quod eget moderamine noſtro,*
*Tu vires ſine mente geris, mihi cura futuri eſt.*
*Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum*
*Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes,*
*Nos animo: quantoque ratem, qui temperat, anteit* E
*Remigis officium, quantoque eſt dux milite major,*
*Tantum ego te ſupero.*

Berbonius Poeta ſubſequentibus elegiacis per compendium depinxit, quiſnam prudens cenſendus ſit, & quæ propriè Prudentum functiones æſtimentur.

*Spernit turpe lucrum prudens, ædeſque ſuperbas,*
*Spernit inauratas, marmoreaſque trabes.*
*Spernit ebur, gemmas, argentum, aulæa, tapetas,*
*Spernit opes vaſtæ, luxuriemque domus.*
*Spernit odoratas veſte, auroque trilices,*
*Spernit delicias, Cypris amorque tuas.*
*Spernit compoſitæ damnoſa impendia menſæ,*
*Spernit res, hodie quas rude vulgus amat.*
*Spernit & invidiam ſcelerata murmura linguæ,*
*Spernit clamoſi jurgia vana fori.*
*Omne malum (breviter) prudens ſpernitque, fugitque,*
*Virtutemque bonæ gaudia mentis habet.*
*Contentuſque una hac mortales ridet honores,*
*Inque humili patiens neſcit egere caſa.*
*Omnia fert: & ſe caſus componit ad omnes.*
*Quod loquitur lingua, pectore ſentit idem.* F

## FUNCTIONES PRUDENTIÆ.

Prudentiæ functiones ab Ariſtotele, & D. Thoma numerantur tres, nempe benè conſultare, benè judicare, & præcipere executionem. Debent autem hi actus, ut benè fiant, fieri certo modo, nempe cum ſollicitudine, & diligentia: ut docet *D. Thom. art.9.*

Primum igitur Prudentiæ munus eſt, benè conſultare, inquirendo quæ media, & quæ circumſtantiæ neceſſariæ ſunt, ut opus fiat honeſtè, & ſecundùm virtutem. Operari enim ſecundùm virtutem, eſt finis Prudentiæ. Ad hunc finem quærit in ſingulis negotiis idonea media per conſultationem, unde *Ariſt.6. Ethic. cap.7.* Prudentis maximè opus eſt, rectè conſultare.

Secundum munus eſt, rectè judicare poſt conſultationem. Hoc autem fit, quando poſt diligentem inquiſitionem, & conſiderationem rei concluditur quid, quove modo, tempore, loco, quibuſve aliis circumſtantiis ſit agendum, ut opus ſecundum virtutem fiat. Ad hoc judicium G maximè expedit in promptu habere ſententias Sapientum, & in primis quæ in Proverbiis Salomonis, & Eccleſiaſtico.

Tertium munus eſt. Rectè imperare. Hoc imperium multi Thomiſtæ putant eſſe actum omninò diſtinctum à judicio, qui ſemper ſit neceſſarius, ut voluntas interius, vel exterius liberè operetur, etſi enim intellectus judicet bonum eſſe hoc facere, tamen voluntatem non poſſe moveri, niſi intellectus imperet voluntati, interius dicendo. Fac hoc: quo imperio poſito voluntatem non poſſe detrectare, ſed neceſſariò obedire.

## SPECIES VARIÆ.

*S. Thom.2.2. quæſt.48.* conſtituit triplices partes Prudentiæ: nempe ſubjectivas, potentiales, & integrales.

Subiectivas vocat ſpecies, ſeu inferiora, quomodo homo, & brutum dicuntur partes animalis.

Potentiales vocat virtutes quaſdam adiunctas, quæ ordi- H nantur ad aliquos ſecundarios actus, vel materias; ita ut non habeant totam vim principalis virtutis, quomodo potentiæ animæ dicuntur animæ partes apud Philoſophos.

Integrantes, vel quaſi Integrantes vocat ea, quæ neceſſe eſt concurrere ad perfectum actum virtutis.

Prudentia igitur rectè dividi poteſt, primò in naturalem, & ſupernaturalem, ſive in acquiſitam, & infuſam.

Naturalem voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc ſolam Philoſophi agnoverunt. Pendet ex Syndereſi, quæ eſt notitia principiorum practicorum, ut Decalogi, & ſimilium; & ex virtutibus moralibus ſui ordinis, comparaturque uſu, naſcitur enim ex actibus.

Supernaturalis eſt, quæ limites notitiæ naturalis excedit, pendet ex fide, & ex virtutibus moralibus ſui ordinis.

Secundò, dividitur immediatè in Prudentiam perſonalem ſeu ſolitariam, & gubernatricem. Gubernatrix dividitur in quatuor ſpecies; Oeconomicam, Civilem, Legislatricem, & militarem. Itaque in univerſum ponuntur quinque ſpecies Prudentiæ. Ex quibus quatuor priores ponit *Ariſtot. 6. Ethic.* A *cap.8.* & vocat partes prudentiæ, quintam addit D. *Thom. quæſt. 50. art. 4.*

Solitaria, ſeu perſonalis eſt, qua quis in ſingulis actionibus ſpectat, quid agere debeat, proprium intendens bonum.

Oeconomica, qua quis rectè gubernat familiam, ejus bonum ſolùm ſpectans.

Civilis, ſeu politica eſt, qua quis rectè adminiſtrat civitatem, legeſque ſervari curat.

Legislatrix, ſeu nomothetica eſt, qua quis idoneas leges condit.

Militaris, qua militia ritè adminiſtratur.

Notandum autem ſingulas prudentiæ dictas ſpecies, poſſe rurſus in multas alias, vel ſpecies, vel potius in partes veluti integrantes dividi. Probabile enim eſt, Prudentiam perſonalem tot habere partes ſpecie diſtinctas, quot ſunt ſpecies virtutum. Non enim, qui prudens eſt in functionibus juſtitiæ, ſtatim eſt prudens in functionibus Temperantiæ, vel fortitudinis: quamvis ut abſolutè dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis paſſim occurrente B prudens eſſe.

Idem dicendum de prudentia Civili, Oeconomica, Legislatrice, & Militari. Varia enim ſunt genera militiæ, & gubernationis civilis, & domeſticæ, ratione variarum circumſtantiarum, tum loci, tum perſonarum, tum finium adjunctorum (ut commodorum, vel incommodorum) quæ diverſiſſimam rationem agendi poſtulant, ut bonum exitum habeant.

## * PECCATA CONTRA PRUDENTIAM.

Generatim loquendo omne peccatum eſt contra prudentiam, omne enim peccatum eſt contra judicium prudentiæ, ſicuti omne opus bonum eſt ſecundùm judicium prudentiæ: Non eſt tamen neceſſarium, ut ſicut omne opus bonum ſequitur ex judicio prudenti, ita omne opus malum ſequatur ex judicio imprudenti; poteſt enim ſequi ex judicio indifferenti, quo aliquid judicatur non quidem eſſe honeſtum, vel turpe, ſed eſſe delectabile, vel moleſtum. Hoc enim judicium ſufficit, ut voluntas poſſit illud opus velle, aut nolle.

C Si autem magis ſpeciatim loquamur, dupliciter contra Prudentiam peccatur, juxta *D.Thom. q. 53. 54. 55. in 2.2.* per exceſſum, & per defectum, nam ſicut objecta aliarum virtutum conſiſtunt in medio, ita etiam objectum Prudentiæ: (idem enim eſt objectum, circa quod verſatur Prudentia conſultando, & judicando, ac aliæ virtutes inclinando.) Itaque ſicut contra alias virtutes poteſt peccari per exceſſum, & defectum; ita contra Prudentiam.

Per defectum contra Prudentiam peccatur quadrupliciter, præcipitatione, inconſideratione, inconſtantia, & negligentia, ea ſiquidem peccata propriè ſunt contra Prudentiam, quæ ſunt contra regulas Prudentiæ, quas ipſa in ſuis functionibus debet ſervare; item quæ ſunt contra functiones proprias prudentiæ.

Prima enim regula Prudentiæ eſt, ut priuſquam opus aggrediaris, vel judicium feras, deliberes de mediis, de modo de ordine exequendi, de cavendis impedimentis, &c. Contra hanc regulam eſt præcipitatio, quæ propoſito aliquo fine ſtatim opus aggreditur, vel certè indicat de mediis, & modo exequendi, omiſſâ deliberatione.

D Secunda eſt, ut rem, de qua judicandum eſt, ejuſque circumſtantias diligenter inſpicias. Contra hanc eſt inconſideratio, quæ judicat, omiſſa diligenti inſpectione.

Tertia eſt, ut rebus deliberatis, & rectè judicatis inhæreas, neque te ſinas ob leves ratiunculas divelli. Contra hanc eſt Inconſtantia, quæ ſine ulla, vel certè ſine juſta cauſa mutat ſententiam.

Quarta eſt, ut rem deliberatam, & judicatam opportuno tempore mandes executioni. Contra hanc eſt Negligentia.

Per exceſſum verò, vel potiùs quadam ſpecie, & imagine prudentiæ, peccatur contra Prudentiam ſex modis juxta *D.Thom.* Prudentia carnis, aſtutia, dolo fraude, ſolicitudine temporalium, & ſolicitudine futurorum.

Prudentia carnis eſt, quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda. Sicut prudentia ſpiritus eſt, quæ excogitat idonea media ad opera, ſeu fructus ſpiritus. De quibus Apoſtolus agit, *cap. 5. ad Galat.*

Aſtutia eſt in præſenti notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi conjuncto. Hoc modò accipit *D. Auguſt. lib.4. contra Julianum c.3.* cùm ait, E omnibus virtutibus quædam vitia eſſe ſimilia; ſicut aſtutia Prudentiæ ſimilis eſt, quæ tamen eſt vitium.

Et *Apoſtolus 2. ad Corinth.4.* Non ambulantes in aſtutia, Græcè ἐν πανουργίᾳ, quo nomine propriè ſignificatur hæc vitioſa aſtutia, quia aſtuti omnia tentant, in omnem partem ſe vertunt, ut rem conficiant. Continet artem ſimulandi, & diſſimulandi. Habet locum in iis functionibus, quæ proximum reſpiciunt, nemo enim ſibiipſi, aliquid occultat, vel in modo agendi ſibi aliquid occultum optat; ſed tantùm proximo.

Dolus eſt aſtutiæ executio, ſive verbis, ſive factis: eſt enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, & potiſſimùm in materia juſtitiæ, ut in contractibus, & diſtributionibus.

Fraus eſt executio aſtutiæ per facta, ut cùm menſura eſt minor juſto: cùm moneta eſt adulterina. Unde eſt quid contractius, & minus commune, quàm dolus.

Solicitudo temporalium eſt nimia mentis occupatio in illis conquirendis, & conſervandis, proveniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Itaque tria in hoc vitio F includuntur: primum eſt nimius affectus ad bona temporalia: ſecundum timor, & anxietas quædam, ne vel conatus noſtri in iis corradendis non ſatis bene ſuccedant, vel damnum aliquod interveniat: tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis, & tractandis.

Solicitudo futurorum eſt nimia animi occupatio circa futura maximè, ut vitæ neceſſaria habeantur, conjuncta cum anxietate, & parva fiducia divinæ providentiæ, ut cùm quis plus, quàm par eſt, ſolicitus eſt de victu, veſtitu, aliiſque rebus neceſſariis in futurum annum, menſem, vel diem, eſt ſpecies ſolicitudinis temporalium. Atque hæ ſolicitudines ſi modum juſtum excedant, maximè ſunt noxiæ ſaluti.

## PRUDENTIÆ CONSIDERATIONES VARIÆ.

### UT PUTA.

### PRUDENTIÆ POLITICÆ MAGISTRI. G

☞ *Ex ſingularibus Titulis in Inveniendo hîc quędam Exempla poterunt accommodari eorum, qui rectè conſulunt, & benè conſulentibus parent.*

### QUI. PUTA.

### *Vates.*

Proditum eſt memoriæ, ex Getarum gente quempiam, nomine Zamolxin, ſerviſſe Pythagoræ, & cœleſtium rerum cognitionem ab eo didiciſſe: cumque ad Ægyptios uſque peregrinatus erraſſet, quædam etiam illorum accepiſſe: cumque ſuam revertiſſet in patriam, magna in charitate, ac ſtudio apud principes, nationemque illam habitum, quid portenderent ſigna, præſagientem. Denique perſuaſum regem, animum induxiſſe, ut illum in regni ſocietatem acciperet, ut qui ad deorum arcana annuncianda foret idoneus, & ab initio quidem ejus, quem maximè venerantur, Dei Sacerdotem conſtitutum, poſteà verò Dei appellationem comparaſſe. Inde ſpeluncam nactum ſubterraneam, cæteris quidem inacceſſibilem externis, excepto rege, ejuſque miniſtris, eo in loco degere ſolitum, colloquia rara facientem: adjuraſſe etiam regem, cùm homines longè magis, quàm prioribus annis ſibi cerneret obedien- H tes, tanquam deorum conſilio cuncta agenti. Is mos deinceps duravit, ut ſemper aliquis ejuſmodi præditus inſtitutis inveniatur, qui regi conſiliarius adſit, & inter Getas Dei nomen aſſequatur. Auguſto imperante Bœrebiſtas Getarum tenebat imperium: Decæneus verò, ſive Ceneus magus, conſiliarius erat. *Strabo lib.7.*

Bœrebiſta, Arioviſti Germanorum regis ſucceſſor, uſus eſt, avito more gentis, ſacro conſultore, vateque fatidico Diceneo quodam mago, qui diù Ægypti oras peragrarat, ſacerdoteſque audierat. Hujus perſuaſione vites exciſæ ſunt, vitamque abſtemiam ſine vite agere decretum eſt. Denique Bœrebiſtas his bonis ſuorum artibus fretus, latiſſimum intra paucos annos imperium peperit. *Avent. A.D. lib.1. Annal. Bojorum.*

### *Jureconſulti.*

Dominus Ulpianus Jureconſultus, prætorio præfectus ſub Alexandro Mammeæ, omniumque ejus conſiliorum particeps, ſua prudentia principem, atque adeò totum texit imperium. Propterea quærenti Conſtãtino Magno, quo pacto Alexander

& adoleſcens, & Syrus in talem evaſiſſet principem, cum Ti- A berii, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, Juliani, ante illum principes Romani ſanguinis, imperatorium nomen, dignitatemque fœdarint? reſponſum fuit, id potiſſimum moribus, ac probitati eorum acceptum eſſe ferendum, quos ille princeps in conſilio habuerat, Ulpiano, Julio, Paulo, Pomponio, Fabio Sabino, Jureconſultis præſtantiſſimis. *C. Rutilius in vita Ulpiani.*

Leo 43. Rom. Pont. Theodorico Gothorum Regi à ſecretioribus fuit conſiliis, antequam ſacrarum literarum ſtudio ſeſe addiceret. *Sidonius ad Leonem lib. 4.*

*Præceptores.*

Chalis, ſeu Chalibaſſa, præceptor Mahometi II. ab ineunte pueritia, ab Amurate, qui Conſtantinopolim cepit, moriente, tutor eidem relictus fuit: quem ob prudentiam amoremque ejus erga ſe, atque ſuos omnes, non ſecus & audire, & obſervare deberet, quam ſi pater eſſet. Repetiit enim ætates uſque ſeptem ſuperiores, quibus majores ipſius Chalis primarii ſemper fuerant in Othomanorum tyrannide, & Turcis B omnibus dilectiſſimi. *Cuſp. A.D.*

*Principes.*

Perſarum ſeptem principes, & inter eos præcipuus Mumachan, Artaxerxi Regi conſilium dedere, de repudianda ob inobedientiam regina Vaſti, & altera ſuperinducenda. *Eſther. 1. & Joſephus lib. 11. c. 16. Antiq.*

Servius Tullius Rom. Rex, cùm conſideraret fortunæ momentum exiguum multum ſemper pollere, & quia factum, quid penè eſt, aut non eſt, ſubinde id quibuſdam fuiſſe cauſam, ut aſſecuti ſumma vel ludificati ſint: Brevis fortunæ ædem Romæ conſtruxit: quo intendendum præciperet rebus, nec quantumvis modicæ ſint, eas, quæ accidunt, eſſe contemnendas. *Plut. in quæſt. Rom.*

*Conſiliarii, Senatores.*

☞ *Conſiliarii, & Senatores. Dignitatis merito inter fortuita referri debent. Hìc ſolius prudentiæ in conſulendo ratio habetur. Sin Theoricum habitum conſideres, ad Philoſophiæ morum locos pertinent, & præſertim ad Jureconſ.*

C Hiſtiæus Mileſius tyrannus, qui ratem in Iſtro fluvio cuſtodivit, quando Darius contra Scythas profectus fuit, cum fidei ergo à Dario poteſtatem haberet, Myrcinum urbem in Thracia condendi, tandem à Dario in Perſiam revocatus eſt, hac ſpecie, ut conſiliarius regius exiſteret, at revera, ne loci opportunitate à rege aliquando rebellaret. *Herod. lib 4.*

Cùm Leſcus Albus non aliter Poloniæ principatum obtinere poſſet, quàm ſi Govoticium conſiliarium ſuum fideliſſimum relegaret: cunctantem ille ultrò hortatus eſt, ne ſua cauſa tanta commoda negligeret. Malè enim ſibi, ſuiſque poſteris Leſcum conſulturum eſſe, ſi propter ſe unum ſeniculum, & pauculos, atque eos incertos dies vitæ ſuæ, in aliam familiam transferri principatum ſineret. Libenter ſe pro ejus commodis, atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet, atque cuperet. Commovit Leſcum ea Govoticii oratio, ut illicò negaret, tanti ſe facere principatum, ut ejus adipiſcendi gratia tam fidum conſiliarium proderet, immerentemque magiſtratu ſimul, & patria eiiceret. Proinde alium ſibi Cracovienſes proceres iſtis legibus D quærerent: ſe in paterna ditione ſua quieturum potiùs, quàm per ſcelus principatu potiturum. *Cromerus lib. 7.*

*Legati.*

Methrodotus Scepſius, quo Mithridates in magnis rebus utebatur, colebatque ut patrem, à rege ad Tigranem miſſus, ut eum in ſocietatem belli contra Romanos traheret: rogatus à Tigrane Armenio, An in partes belli oporteret ſe deſcendere? reſpondiſſe fertur (incertum Mithridatis odio, an ut ex ſententia conſuleret.) Ego rex, inquit, ut legatus tibi, ut opem feras, ſuadeo: ut conſiliarius, petitam ut neges moneo. Id reſponſum, cùm non tacitum tuliſſet Tigranes, cauſa fuit, ut Methrodorus confeſtim ſit à Mithridate interfectus. Doluit Tigranes ſuo judicio tantùm virum exitio deditum: ſed quem vivum prodidit, extinctum magnificè funeravit. *Sabell. lib. 4. Enn. 6.*

*Captivi.*

Crœſus Rex Lydorum, victus à Cyro Perſarum Rege illi poſteà in rebus gerendis ſemper optimè conſuluit. Itaque Cyrus contra Maſſagetas expeditionem ſuſcipiens (in qua etiam periit) filio ſuo Cambyſi Crœſum commendavit, utque illius conſilio uteretur, monuit. *Herod. lib. 1. & 3.*

QUALES APTI, INEPTI.

E ☞ *Ex Prudentiæ bellicæ, & Stultitiæ bellicæ particularibus Titulis generalis illuſtretur.*

Sacerdotali fraude, Syriæ, & Ægypti Imperium, à legitimis Principibus ad ſervos translatum eſt. Mos erat apud Ægyptios ex quo illa gens in Mahometanam ſectam conceſſit, è cohorte eorum, qui literis eruditi, & in primis legum conſulti eſſent, Caliphem, ita ſummum antiſtitem appellant, conſtituere. Hic & ſacra, & politica cognoſcebat, majeſtateque, Imperio, & potentia ſecundus à Rege habebatur. Reges igitur Ægypti, quos Mahometani Solidanos vocant, pulſis è Syria Chriſtianis, luxui, & deſidiæ cùm eſſent dediti, Caliphes, ut ſunt plerique illorum ad fallendum, & captandam dominationem callidi, totas Imperii vires ad ſe trahendo, eò magnitudinis devenit, ut regia auctoritas indies deſpectior, brevi ferè extingueretur. Adempta regibus vi, Japerii Equites quoque, quorum opera res Ægypti ſtabat, modò in commeatus mittendo, atque in varios militares uſus ablegando, modò tan- F quam emeritos, in agros deducendo, propè exauctoravit, nullo eorum, vacationis, & otii dulcedine, aſtum Caliphis ſentiente. Cæterùm cùm circumſpectus homo crederet, nullum Imperium ſine militari manu poſſe conſiſtere, adjecit animum ad milites ex ſervis inſtituendos, quos à longinquis regionibus conduxit, quando cives, & finitimos metuebat. Itaque Pontica gens, quæ inter Mœotim, & Phaſim incolit, vulgo Circaſſos vocant, ad hanc militiam delecta, certiſque hominibus armorum, & equitandi peritis, à quibus militiæ artes odocerentur, diviſa. Cæterùm Imperium, fraude quæſitum, haud altas radices egit, cùm præſertim non ſuis, ſed alienis viribus niteretur. Nam ſerviles animi, poſteàquam vires regni ex ſe pendere viderent, reputantes perfidiæ præmium regnum fore, inito inter ſe conſilio, adversùm Caliphem conjurant. Cur enim Sacerdos, curandis ſacris conſtitutus, qui in otio ætatem, agit quippe qui nuſquam è cubiculo prodit, verùm in ſella aurea reſidens, pulvillis purpureis innixus, ne hyberni quidem Solis patiens, quaſi animal epulis deſtinatum, ſeſe intrà ſaginando, regnum potius temperaret, quàm milites: ſine quorum armis, ſudore, & ſanguine neque Imperium ampliari, neque tutum reddi queat? Itaque miſſo ad Caliphem G nuntio, jubent, illum ſacra duntaxat capeſſere, vetito, eo pro Imperio quicquam de çætero agere. Exorto Caliphi regno, cùm ſervorum Imperium ad ducentos ferè annos duraſſet, tandem à Turcis deletum eſt. *Lud. Tubero l. 10. Comment.*

QUOMODO.

*Viva voce.*

☞ *Ex ſeq. Titulis Conſiliorum privatorum Titulus hic generalis illuſtrari poteſt.*

*Scripto.*

M. Varro edito commentario docuit Cn. Pompejum, quid facere, dicereque deberet Senatum conſulens rogatus à Pompejo ad hoc genus officii. *Gell. lib. 14. cap. 7.*

*Dignitate, Magiſtratu.*

Romani pueros patricios cum parentibus in Senatum duci H permittebant, ut conſiliis ſapientum jam inde à teneris aſſueſcerent. Duravit ille mos uſque ad Papyrium Prætextatum. *Macrob. lib. 1. Satur. c. 6. & Gell. lib. 1. c. 23.*

Auguſtus Cæſar liberis Senatorum, quò celeriùs Reip. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit. Idem, quo plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, & aquarum, alvei Tiberis frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo intervallo creavit, numerum prætorum auxit. Exegit etiam, ut quoties conſulatus ſibi daretur, binos pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, ſatis majeſtatem ejus imminui, quòd honorem eum non ſolus, ſed cum altero gereret. *Sueton.* Apud Venetos leguntur quotannis in Senatum certo numero juvenes patricii, qui XX. annum attigerint, cùm alioqui ante XXV. nulli in Senatum venire liceat. *Sabell. de Magiſt. Venet.*

PRU-



PRUDENTIÆ BELLICÆ MAGISTRI.

A *Diſciplina militaris latiſſimè patet. Eaque propter Magiſtri ejuſdem partim in genere conſiderari poſſunt, partim in ſpecie. In genere quidem, qui hujus vel inſtituendæ, vel conſervandæ, vel reſtituendæ auctores fuere. In ſpecie verò, ſecundùm cauſas ſingulas. Sic Magiſtri militaris diſciplinæ dicuntur reſpectu materiæ ſubjectæ illi, qui vel animos militum ad fortitudinem, ad temperantiam, ad juſtitiam hortantur (exempla è Tit. Militum fortitudinem, temperantiam, alacritatem, juſtitiam accendere, petenda) vel corpora eorundem ad laboris, vigiliarum, famis, itineris tolerantiam excitant (de qua re ſub Tit. Robur militum tam activum, quàm paſſivum firmare,) ſimul etiam ad dextrum uſum Armorum inſtituunt. Jam reſpectu Formæ, hoc eſt, ipſius mod i inſtitutionis vel Præceptis ſit, vel Exemplis. Præceptis, inquam, & monitionibus tum blandis, ſuadendo, hortando, orando: tum ſeveris, interminando, cogendo. Denique reſpectu Efficientis, Magiſtros alios Publicos, ut Reges, Duces: alios Privatos, ut Parentes, Præceptores conſtituere poſſumus. Fontes hi ſunto ſubdiviſionum, in quas exempla ſequentia methodicè deduci poſſunt, atque debent. Diſciplinæ nos hic exempla in genere congerimus. Qui Temperantiam, qui Fortitudinem, qui Juſtitiam prudenter docuere, in ſpeciali B enarratione Stratagematum recenſebuntur.*

QUI.

*Reges, Principes, Duces.*

Juda Machabæo mortuo, animum quoque amiſere Judæi, & partim fame, partim ferro à Bacchide domiti ſunt. *Mach. 9.*

Cùm Artaxerxes Ægyptio Regi bellum inferre ſtatuiſſet, Iphicratem ab Athenienſibus petivit Ducem, quem præficeret exercitui conducto, cujus numerus duodecim millium fuit. Quem quidem ſic omni diſciplina militari erudivit, ut quemadmodum quondam Fabiani, milites Romani appellati ſunt: ſic Iphicratenſes apud Græcos in ſumma laude fuerint. *Probus in ejus vita.*

Cleomenes Leonidæ F. magiſter fuit diſciplinæ militaris Spartanorum. Docuit enim eos pro lancea ſariſſam ambabus manibus tractare, & clypeum ferre amento non appenſum. *Plut. in Cleomene.*

Pyrrhus, Epirotarum Rex, in auxilium vocatus à Tarentinis contra Romanos, poſteàquam incolumes ex mari adſue- C runt naves, & exercitus maxima ex parte convenit: multitudinem advertens, niſi acriter compulſam, neque ſervari ipſam, neque ſervare poſſe alios, ſed tanquam ipſo propugnante domi reſidere balneis indulgentem, & conviviis: gymnaſia, ambulationeſque, in quibus ſpaciantes diſpenſabant res gerendas verbis, occluſit: compotationibus, comeſſationibus, & ludis intempeſtivis interdixit. Ad arma eos vocavit, in delectibuſque juventutis ſeverus, & durus fuit. Unde reliquerunt urbem multi, qui inſolentiam parendi, quòd non liceret in deliciis vivere, ſervitutem vocabant. *Plut. in Pyrrho.*

Philopœmenes Achæorum magiſter equitum, primùm ordinum militarium apud Achæos, atque armaturæ correxit vitia. Scuta enim habebant ex tenuitate expeditiora, & reſtrictiora, quàm ut regere poſſent corpora, lanceas longè ſariſſis breviores: unde ob levitatem ad eminus petendum ſtrenui erant, & bellaces, cominùs non perinde valebant. Modus, & forma aciei in orbem non erat in uſu: ſed quia quadratam aciem, qua utebantur, nec fronte minuebant, nec ſtrue, ut moris erat Macedonum, ex facili impellebantur, diſiiciebanturque. Ubi hæc Philopœmenes digeſſit, induxit eos, ut pro D ſcuto, & lancea clypeum, & ſariſſam caperent: ſimul ut galeis, loricis, ocreiſque tecti, loco curſoriæ, & velitaris pugnæ ſtatariam meditarentur, & firmam. Ubi jam pubem ad ita ſe armandum impulit, primùm ut invictos confirmavit, deinde delicias, & luxum eorum optimè invertit. Neque enim eripere ſemel potuit vanum, & inane, quod perdiu infecerat animos eorum, deſiderium circa amœniorem veſtium cultum, ſtrata purpurea, ſumptuoſas cœnas, menſaſque: ſed cùm inſtitiſſet à non neceſſariis cupidos elegantiæ ad neceſſaria deflectere, & honeſta, brevi omnes movit, atque inflammavit, ut quotidianis repreſſis in corpus ſumptibus geſtirent in militari, & bellico ornatu oſtentare ſe ſplendidos, & comptos. Quippe profuſio aliis in rebus voluptates producit, & animos enervat utentium, quaſi per ſtimulos, & titillationes animum ſenſu infringente: contra impenſa in hujuſcemodi res roborat eum, extollitque: ſicut Achillem induxit Homerus novis armis propè ſub oculis poſitis quaſi exultantem, & ardentem, ut ea in opus educeret. Cùm equites accepiſſet, qui pravos, & exiles equos, ſubitarioſque inſtante expeditione arriperent, atque ipſi ferè militiam defugerent, alioſque delegarent vicarios, eſſet etiam ſingularis omnium cum ignavia inertia: ea- E que diſſimulaſſent ante magiſtratus, quòd inter Achæos plurimùm equites pollerent, ac præcipuè arbitrium haberent honorum, & pœnarum: non ſummiſit animum, neque clanguit: ſed cùm oppida luſtrando, tum ſingulos juvenes ſeorſum ad laudem excitando, & caſtigando ignavos, exercitationibuſque, & tranſvectionibus, atque mutuis inter ipſos concertationibus, ubi ſpectandi à plurimis eſſent, miros nervos brevi, alacritatemque impreſſit cunctis, & quod in diſciplina erat militari caput, agiles reddidit, atque expeditos. Itaque turmatim in latus convertere, & in terga obvertere aciem, ſingulos item equos ita convertere, & flectere edocuit, & conſuefecit, ut totius circumagendi globi dexteritas unum corpus repræſentaret, ſuo ſe contorquens nutu. *Plut. in Philop. & Pauſan. in Arcadic.*

Ducibus, Centurionibus, & Tribunis apud Rom. præcipuè curandum erat, in locis ubi ſtativa habebant, cogere tyrones milites, cùm primùm merere cœpiſſent ſtipendia, ne ſine conſilio, ſine imperio in hoſtes tenderent: per turmas hinc inde crebrò concurrere, decurrere, clamare, locum tenere, imperium ſervare, juſſa exequi, ſeque in orbem colligere, cuneum facere, & phalangem, ut ſequi ſigna, & pati tædium, æſtus, & vigilias aſſueſcerent. *Alex. ab Alex.* F *lib. 1. c. 20. & lib. 5. c. 2.*

P. Scipioni ad Numantiam miſſo fuit ab initio majus certamen cum ſuo milite, quàm cum hoſte, dum corruptum exercitum ad ſeveriorem militiæ diſciplinam revocat, qui ſervilibus operibus, priorum ducum ignavia, aſſuetus, multò aptius vallum circumferebat, quo ſuam imbelliam tueretur, quàm ſcutum, & haſtam, malletque foſſa, & congeſto luto ſe, quàm hoſtium cruore inquinari. Suſtulit igitur Dux ſolertiſſimus omnia deſidiæ inſtrumenta, ſcortis, & inſtitoribus numero bis mille extra vallum ejectis: militem quotidie decurrere, aut militare opus aliquod obire, ſeptenoſque vallos ferre cogebat, ut ſui opprobrii aliquando pigere inciperet, crebrò militem onere degravatum inceſſens. Cùm gladio rectè vallare didiceris, vallum ferre deſinito. Quendam ſcutum nimis aptè ferentem, aliud ampliùs, graviuſque juſto, ferre coegit: reddita etiam cauſa cur id faceret, quando ſcuto melius, quàm gladio uteretur. Si quem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vita, ſi extraneus virgis cæcidit, vendiditque G jumenta omnia, ne nimium exonerarent militem. Militiaque per hæc in integrum reſtituta brevi apparuit illud verè dici: Tanti quemlibet exercitum eſſe, quanti ſi is, qui in eo imperet. *Sab. lib. 9. En. 5.*

Q. Scæ. Metellus contra Jugurtham miſſus, ubi primùm in provinciam venit, pro magno habuit negotio militiam corrigere, partim ſuperiorum ducum negligentia, partim ignavia corruptam. Imbellis ibi exercitus erat, neque periculi, neque laboris ampliùs patiens: non vigiliæ, non ſtationes circa caſtra. Milites lixis permixti, ut cuique libitum erat, à ſignis aberant. Frumentum acceptum vendere, panem in diem mercari, multaque provincialibus adimere, cum vino, & aliis peregrè advectis commutare. Nullum ignaviæ, luxuriæve probrum eſſe, quod in exercitu illo ignominioſo non reperiretur. Hanc militum intemperiem conſul paucis diebus emendavit propoſito edicto. Ne quis panem, obſoniumve ullum coctum in caſtris venderet. Ne lixæ exercitum ſequerentur. Ne gregarius miles in caſtris, aut itinere ſervum haberet, aut jumentum. Ipſe quotidie tranſverſis itineribus ductare, caſtra, velut hoſtis in proximo eſſet, vallo, & foſſa munire, nunc im- H primis, nunc in poſtremis, nunc in medio verſari: atque ita magis prohibendo à delictis, quàm delicta vindicando, brevi exercitum confirmavit. Jugurtha Metelli providentia ſimul, & integritate perculſus, tum demùm ad veram deditionem animum adjecit. *Sab. l. 1. En. 6. Plin. c. 62. de Viris illuſt. Front. l. 4. c. 1. Val. Max. l. 2. c. 2. Alex. ab Alex. l. 1. c. 12.*

Cùm haberentur Numantini invicti bello viri, multoſque Duces profligaſſent, ad bellum illud gerendum P. Scipionem Africanum Juniorem populus conſulem creavit. Cùm ei autem frequentes ad eam expeditionem ſe voluntarii offerrent: veritus, ne vacua relinqueretur Italia, impedivit id ſenatus: nec ſtipendium, ut caperet ex ærario, conceſſit, verùm aſſignavit à publicanis, cujus pecuniæ nondum ceſſerat dies. At Scipio non requirere ait ſe pecuniam, ſuppeditaturum domo, & ab amicis: verùm de militibus eſt queſtus: Quippe grave eſſe bellum, ſi virtute hoſtium fuiſſent toties ſuperati, quòd adversùs tales: ſi civium ignavia, quòd cum talibus gereretur. Poſtquam in caſtris

ſub adventum ſuum ingentem licentiam, laſciviam, ſuperſtitionem, & luxum offendit: extempló fatiloquos, ariolos, & lenones exegit, inſtrumentum omne edixit, ut dimitterent, præterquam ollam, veru, & poculum figlinum. Ex argenteis calicem permiſit, quibus biberet non amplius dupondio, balneis interdixit. Qui ungi vellet, ut ſe quiſque ipſe fricaret. Neque jumenta manibus carentia habere opus alio, qui ipſa fricet. Prandium præſcripſit, ut pedibus inſiſtentes caperent incoctum: cœnarent accumbentes panem, vel pultem ſimplicem, & carnes aſſas, vel elixas. Ipſe ſago amictus pullo, in publico verſabatur, lugere ferens ſe exercitus infamiam. *Plutarch. in Apoph. & Polyæn. lib.8.*

M. Cato minor Trib. mil. creatus, in Macedoniam miſſus eſt ad Rubrium prætorem. Comitabantur eum ſervi quindecim, duo liberti, & quatuor amici, quibus equo vectis ipſe pedibus incedens, applicabat ſe viciſſim cuique, colloquebaturque. Ut in caſtra venit, ex pluribus legionibus uni à prætore præfectus ſuam unius virtutem exiguum opus, nec regium ducebat explicare, ſed milites ſui reddere ſimiles maximè enitens: non formidinem detraxit imperio, ſed adjecit admonitionem per rationem: qua ſingula probans iis, docenſque adjuncto honore, & pœna, difficilè erat dicere quietiores, an bellicoſiores, an alacriores, an juſtiores milites reddiderit. Adeò præbuerunt ſe hoſtibus formidabiles, manſuetos ſociis, timidos ad malum, & acres ad laudem. Unde quod minimè Cato morabatur, id eſt, in primis aſſecutus, gloriam, & benevolentiam, & eximium honorem, & ſtudium militum. Nam quæ aliis imperabat, ea quia ultrò præſtabat ipſe: veſtitu autem, & victu, itineriſque labore comparabat ſe illis magis, quàm ducibus: gravitate verò, prudentia, facundia, omnibus antecellebat, qui nomen obtinebant Imperatorum, & Ducum: ſimul his artibus devinxit clàm ſibi animos eorum. Quippe germanus virtutis amor non influit, niſi per ſummum imprimentis eum ſtudium, & reverentiam. Sine amore, qui celebrant bonos, eorum gloriam reverentur, non ſuſpiciunt, neque imitantur virtutem. Expleta militia, non votis cum, quod translatitium erat, neque præconiis: ſed lachrymis, complexibuſque proſecuti ſunt, ſubſternentes in via, qua pergebat, veſtes, manuſque ejus deoſculantes: quæ vix paucis Imperatoribus præſtabant illius temporis Romani milites. *Plut. in ejus vita.*

Q. Sertorium Hiſpani ob bellicas virtutes habebant in admiratione, & amore proſequebantur: prætereà quòd Romanis armis, ordinibus, ſignis, detrahens ipſis ſpeciem virium inſanam, & belluinam, pro magna latronum manu in formam exercitus redegiſſet copias ſuas. Argento affatim præbito, & auro galeas eorum exornavit, & ſcuta variis diſtinxit ornamentis, chlamydeſque pictas, & tunicas uſurpare eos docens, atque in id ſuppeditans, & ſerviens illorum gloriæ, influebat in eorum animos. Præcipuè cepit eos puerorum diſciplina. Nam ex parentibus ſibi gentilibus nobiliſſimos Oſcam amplam urbem contraxit, iiſque doctores præfecit litterarum Græcarum, & Latinarum, Ita illos reverà obſides habebat, verbo erudiebat: oſtendens, ubi creviſſent, civitate Romana eos donaturum ſe, atque ad honores provecturum. Quorum genitores delectabantur, quòd filios conſpicerent prætextatos, decorè ad ludum literarium commeantes, pendentem pro his ſalarium Sertorium, crebrò ſumentem ſpecimen, præmiaque meritis tribuentem, & aureas bullas donantem. *Plut. in Sertorio.*

C. Julius Cæſar, militem, neque à moribus, neque à fortuna probabat, ſed tantùm à viribus: tractabatque pari ſeveritate, atque indulgentia. Non enim ubique, ac ſemper, ſed cùm hoſtis in proximo eſſet, coercebat: tum maximè exactor graviſſimus diſciplinæ, ut neque itineris, neque prælii tempus denunciaret: ſed paratum, & intentum momentis omnibus, quò vellet, ſubitò educeret. Quod etiam ſine cauſa plerumque faciebat, præcipuè pluviis, & feſtis diebus. Ac ſubinde obſervandum ſe admonens, repentè interdiu, vel nocte ſubtrahebat: augebatque iter, ut ſeriùs ſubſequentes defatigaret. Fama hoſtilium copiarum perterritos non negando, minuendove, ſed inſuper amplificando, ementiendoque confirmabat. Itaque cùm expectatio adventus Jubæ terribilis eſſet, convocatis ad concionem militibus: Scitote (inquit) pauciſſimis his diebus Regem affuturum cum x. legionibus, equitum xxx. levis armaturæ c. millibus, elephantis ccc. Proinde deſinant quærere ultrà, aut opinari, mihique (qui compertum habeo) credant: aut quidem vetuſtiſſima nave impoſitos, quocunque vento, in quaſcunque terras jubebo avehi. *Sueton.*

Auguſtus Cæſar, in re militari & communicavit multa, & inſtituit: atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit: diſciplinam ſeveriſſimè rexit: ne legatorum quidem cuiquam, niſi gravatè, hyberniſque demùm menſibus, permiſit uxorem interviſere. Equitem Rom. quòd duobus filiis adoleſcentibus cauſa detrectandi ſacramenti, pollices amputaſſet, ipſum, bonaque ſubjecit haſtæ: quem tamen, quòd imminere emptioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit, ut relegatum in agros pro libero eſſe ſineret. Decimam legionem contumacius parentem cum ignominia totam dimiſit: item aliàs immodeſtè miſſionem poſtulantes, citrà commoda emeritorum præmiorum exauctoravit: cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit: Centuriones ſtatione deſerta itidem, ut manipulares milites, capitali animadverſione puniit: pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, ut ſtare per totum diem juberet ante Prætorium: interdum tunicatos, diſcinctoſque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam ceſpitem portantes. *Idem.*

Tiberius Cæſar in Germania militarem diſciplinam acerrimè exegit, animadverſionum, & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quòd paucos milites cum liberto ſuo trans ripam venatum miſiſſet, ignomina notato. *Idem.*

Galba, poſtridie quam ad legiones venit, ſolenni fortè ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera, ut manus penulis continerent. Itaque ſtatim per caſtra jactatum eſt, Diſce, miles, militare: Galba eſt, non Getulicus. Pari ſeveritate interdixit commeatus peti. Veteranum, ac tyronem militem opere aſſiduo corroboravit: maturèque barbaris, qui jam in Galliam uſque proruperant, coercitis, præſenti quoque Cajo Cæſari talem & ſe, & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractaſque ex omnibus provinciis copias, neque teſtimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent: ipſe maximè inſignis, quòd campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam adeſſe dum Imperatoris, per viginti paſſuum millia cucurrerit. Poſteàquam Imp. ſalutatus in urbem venit, ad officium remigandi eos redire coegit, quos Nero olim ex remigibus legitimos milites claſſiarios fecerat. Germanorum cohortem, à Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſque experimentis fideliſſimam, diſſolvit, ac ſine ullo commodo remiſit in patriam. Plutarchus tradit, remiges illos clamantes in itinere obtriviſſe, ac per multam cædem, totque cadavera, in urbem, haud fauſto auſpicio, ingreſſum: horribilemque omnibus, ac formidabilem factum, quanquam ſenem, infirmumque, erat enim annos natus tres, & ſeptuaginta. *Cuſp. A. D. ex Suetonio.*

*Cornel. Tacit.* prodit, Veſpaſianum conſueviſſe anteire agmen, locum capere, cibo fortuito, veſte, habituque vix à gregario milite diſcrepante, legiones habuiſſe exercitas bello, noctu ſtetiſſe in excubiis, milites ſtratagematibus, doliſque bellicis inſtruxiſſe.

Adrianus Imp. militari diſciplina poſt Octavium Cæſarem valde corrupta, in Germaniam proficiſcens, etſi in pacato erat, tamen haud ſecus, quàm ſi propinquus eſſet hoſtis, milites exercuit, adeò ut equites ejus armati Danubium tranſnataverint. Tabernacula frondibus facta, aut in ſubterraneis locis ad minuendam caloris vim inventa, ſubvertit: atque ut ex ipſius patientia ferendi laboris exemplum alii haberent, interdum pedibus viginti paſſuum millia peragebat. In propatulo veſcebatur, lardo, caſeoque tantùm inſtructa menſa: nec alio vino, quàm poſca ſive lora, utebatur, quemadmodum anteà Scipiones, Marcellique factitarant: ut aliorum ſeverus eſſe reprehenſor poſſet, exemploque ſuo ferendi laboris excuſationem adimeret. In cæteris quoque expeditionibus non modò ea, quæ ad univerſum exercitum pertinent, ut ſunt arma, machinæ, foſſæ, aggeres, ſed etiam qualis ſit cujuſque & militum, & ducum ipſorum vita, ſtatio, & mores, diligenter animadvertit: mores indulgentia depravatos correxit, ad omne genus pugnæ milites exercuit, atque omnem militarem diſciplinam eos docuit. *Sab. lib.4. En. 7. & Aventin. A. D. lib.2. ex Dion.*

Antoninus Caracalla, qui Severo patri in imperio ſucceſſit, præter quàm quòd ſæpe ſe cum militibus exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac per magnum ſpatium militaria ſigna ipſe ferebat: ne tum quidem, cùm laſſus in tentoria ſe receperat, delicatiore cibo reficiebatur, ſed cum aliis militibus eo pane veſcebatur, quod ipſe ſibi pinſerat, & in ardenti cinere decoxerat. Scyphum quoque ligneum habebat.

Peſcennius Niger, qui ſua virtute ad imperium conſcendit,



dit, nunquam alio, quàm militari cibo uſus, militibus, cùm vinum poſcerent, reſpondit, debere eis fluvialem aquam ſufficere. Niſi reliquus exercitus ſub tecto manſiſſet, ſub tentorium, aut frondea tabernacula non ſubibat: ſed ſub dio manens, ſuo exemplo docebat alios vitæ militaris auſteritatem.

Ulpius Marcellus, Commodi Romanor. Imp. contra Britannos Dux, ut milites in diſciplina optima contineret, vivebat aliorum militum more. *Dion. Nicæus.*

Alexander Severus Imp. vix annos viginti natus, in ſumma rerum affluentia, egregium militaris diſciplinæ exemplum ſeipſum præſtitit. Non alio quàm militari cibo utebatur: apertoque tentorio, ut omnes conſpicerent, veſcebatur. Si quis, dum agmen incederet, in privatorum poſſeſſiones ſe immiſiſſet, plagis mulctabat: vociferando, An ita calcari agrum tuum velles; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Stipendia militi largè perſolvebat: neque ferebat, ut vel legati, vel aliorum ordinum ductores ſtipendia decimarent. Militem enim bene veſtitum, caligatumque, ac ſaturum eſſe oportere ajebat: ſi quid prætereà nummorum in baltheo ſecum geſtaret, ſemper dicto audientem fore, quia inopiæ plerumque deſperatio conjuncta eſſet. Hæc cùm ipſe præſtaret, à militibus contrà ſeverè exigebat, ut diligenter militarem diſciplinam ſervarent. Antiochiæ equites nonnullos, balneis, conviviiſque deditos, comprehendi, atque in cuſtodia haberi juſſit. Qua re motus exercitus cum tumultuaretur, ipſe in tribunal conſcendit, ac perpetrati erroris graviter milites increpuit. Cæterùm cùm ipſi penè minabundi fremerent, ſolus, inermiſque torvo vultu, graviterque ſonante voce omnem exercitum exauctoravit, juſſitque, ut ſtatim arma dederent. Mira res profectò, ſed tamen vera fuit, unam principis vocem tam multos, iratoſque exarmaſſe milites. Nam ad primum ejus verbum eodem omnes momento arma in terram abjecerunt, quæ unà cum ſignis per populum Antiochenum ad palatium Alexander ferri juſſit. Nec verò multò pòſt, cùm eos in priſtinum militiæ honorem recepiſſet, adeò obſequentes habuit in Parthica expeditione, ut non milites, ſed ſenatores ire dicerentur. *Lampridius.*

Ætius ex Mœſia provincia, inter Romanas legiones aſcitus patricius Roman. ab Honorio Imper. factus diſciplinam militarem penè collapſam omnem reſtituit. Vandalos, Alanoſque in Romani Imperii fines irrumpentes coercuit. In Hiſpania præclaras res geſſit. Atilam cum quingentis armatorum millibus in Gallias irrumpentem, in Catalanicis campis memorabili prælio vicit. *Egnat. lib. 2. cap. 2.*

Theodoſius Magn. Imp. diſciplinæ militaris exemplum, modico, & caſtrenſi cibo contentus ab omni alienus luxu vixit. *Alex. ab Alex. lib.5. cap.21.*

Hermion V. Rex Germaniæ magnæ, qui vixit poſt diluvium anno 411. diſciplinam militarem apud Germanos primus inſtituiſſe, legeſque militandi ſanxiſſe legitur: ſic ut quotannis aliquot millia armatorum bellandi cauſa à finibus educerentur: qui domi remanerent, ſe, atque illos alerent. Hi rurſus invicem anno pòſt in armis eſſent, illi domi remanerent. Sic neque agricultura, neque uſus belli intermittebatur. *Aventin. A. D. lib. 1. Annal. Bojorum.*

Totilas Gothorum Rex, uti erga hoſtes clementiſſimus erat, ita à ſuis diſciplinam militarem ſeveriſſimè exigebat. Rapere aliena, aut vim inferre, capitale erat, ſequebaturque ſupplicium bonorum publicatio: quæ quidem bona violentiam paſſo tradebantur. Itaque & caſtra, & ingreſſus Gothorum per amicas civitates, & gentes, omni ſcelere carebant. *Joan. Magn. lib.13. ex Procopio.*

Carolus Magnus militarem diſciplinam ſeverè exercuit: militibus, qui gnaviter fecerant, præmia conſtituit, negligentes ignominia notavit: ubique virtutis ſpectator extitit. *Aventin. A. D. lib.4.*

Henricus I. Imp. diſciplinam militarem denuò revocavit: latrones expulit: ex agrariis militibus nonum quemque urbibus impoſuit, ut cæteris octo cum familiaribus ſuis habitacula conſtrueret, frugumque omnium tertiam partem cuſtodiret, cæteris octo ſeminantibus, ac fruges colligentibus. Concilia, & conventus in urbibus inſtituit, ut tempore pacis diſcerent, quid in bello eſſet agendum. Ruri autem rara domicilia ædificari juſſit. *Cuſp. A. D.*

Albericus Balbianus, ſeu Barbianus, Cunii Comes, circa annum Chriſti 1376. indignitate permotus, quòd externæ gentes mercenariis armis Italiam quaterent, invitæque paſſim immani rabie baccharentur: Italorum animos, qui tum per ſocordiam, amiſſamque libertatem vetere belli gloria deciderant, in ſpem recuperandi nominis erexit, diſciplinam militarem revocavit, equitem cataphractum inſtituit. Fuere ſub ejus imperio ingentes alæ cataphractorum equitum, qui auſpiciis D. Georgii militantes, ſacramento adacti, nunquam ſe terga daruros externo hoſti, conjurarant. Ab his demùm non uno in loco Britones profligati, cæſi Galli, pulſi, devictique Germani, Hiſpani fuſi, Allobroges, Anglique deleti, apud Italos non omninò extinctum antiquæ virtutis decus juſta confeſſione docuerunt. Hinc Sfortianus, Braccianuſque miles, hinc tot clariſſimi Imperatores, Franciſcus Sfortia, Nicolaus Picininus, & innumeri alii per ea tempora, poſtremò verò Bartholomæus Coleo, Fridericus Urbinas Dux, Robertus Santo-ſeverinas, ætate verò noſtra Nicolaus Petilianus, floruerunt. *Egnatius lib.2. c.2. ex Platinæ Bonifacio IX. & Fulgoſus lib.2. c.2. & Jovius in vita Magni Sfortiæ.*

Ferdinandus, & Iſabella Hiſpaniæ Reges (ab his enim Hiſpania communibus auſpiciis regebatur) fama prudentiæ admodùm celebres, & clari fuerunt; quòd ex maximis motibus ſua regna in ſummam tranquillitatem, atque obedientiam reduxiſſent: quòdque bello decem annos continuato, Granatæ regnum à Mauris annos circiter octingentos poſſeſſum ad Chriſtianam religionem compuliſſent. *Lud. Guicciard. l. 1.*

*Milites.*

Phocion Athenienſis adoleſcens ſub Duce meruit Chabria, cumque eſt aſſectatus, à quo fuit in ſcientia militari inſtitutus egregiè. Nonnihil viciſſim illius ingenium correxit varium, & impotens. Nam cùm ſegnis aliàs Chabrias, & tardus eſſet, ipſis in certaminibus gliſcebat, & exardeſcebat animo, atque cum ferociſſimis proruebat præcipitantius: quomodo ſanè in Chio quoque vitam projecit, cùm triremi ſua ante cæteros provectus deſcenſionem urgeret. At Phocion juxtà cautum, & impigrum præbens ſe, quà cunctationem excitabat Chabriæ, quà contra calorem impetus intempeſtivum detrahebat. Unde candidus probus Chabrias dilexit eum, ad negotiaque, & imperia provexit, ejuſque arduis in rebus uſus eſt opera, atque ex pugna navali apud Naxum inſigne nomen, & gloriam Phocioni conciliavit. *Plut. in Phocione.*

*Præceptores.*

Apud Perſas rei militaris Magiſtri grandioris ætatis erant, nec infra annum L. Sub his inſtructa acie, parcè primùm, & modicè, mox exactiſſima cura militiam ediſcebant. Inventus à vigeſimo ad quinquageſimum annum militare docebatur, ulteriùs arma tractare vetabatur. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.*

Tyronibus Roman. ad militiam admiſſis, primo anno Cuſtos, ſub quo diſciplinam ediſcerent, & magiſter, ſub cujus imperio tyrunculi acuerentur, publicè dabatur, ne expertes operum militarium, arma tractarent. C. Julius equites Romanos, aut ſenatores armorum peritos, ſub quibus militiæ neſcii erudirentur, magiſtros dedit: quorum præceptis imbuti, perſtando, & pervigilando, militare rudimentum deponerent, legeſque pugnandi, & prælii normam, ac dictata internoſcerent, primuſque Pub. Rutilius Conſul, collega Cn. Manlii, è ludo Cornelii Scauri Doctoribus accerſitis, plagas vitandi, & inferendi militibus præcepta dedit. Inde ne temerè, & ſine arte pugnarent, utque tyrones ſub diſciplina eſſent, & militaribus imbuerentur præceptis, Tribunis datum negotium fuit. Quos optimis diſciplinis inſtitutos, tandem militiæ adſcribebant. *Idem.*

Alfonſus Neapolitanus Rex, bello à Galliæ Rege Carolo IIX. petitus, Ferdinandum filium, in quo mirifica indoles militaris virtutis eminebat, terreſtribus copiis præfecit. Cæterùm Nic. Petilianus, Alfonſus Davalus Piſcariæ Marchio, & Joan. Jacobus Trivultius, qui tum peregregii Duces erant, & poſteà omnibus bellis cum ſumma Imperatoriæ virtutis laude claruerunt, Ferdinando attributi ſunt, ut alacriores in juvene ſpiritus maturo conſilio temperarent. *Jovius lib. 10. Hiſt.*

Conſalvus Agridarius ab Inico Mendocio Tendiliæ Comite, viro graviſſimo, Duce omnibus cùm civilis tum bellicæ laudis numeris abſoluto, non minùs, quàm ab ipſo anteà Alfonſo Cadene primo, fortiſſimoque magiſtro, exactæ militiæ documenta, præceptaque, quibus poſteà ſuo cognomine Magnus evaſit, accepiſſe fatebatur, uſque adeò gratè, ſtudioſèque, ut eum non ſecus, ac parentem, ſingulari cum veneratione percoleret. *Jovius in Conſalvo.*

*Poetæ.*

Tyrtæus Poeta Athenienſis, per contemptum Lacedæmoniis Ducem petētibus ex oraculo, cùm claudus, & luſcus eſſet,